



29.

Q. D. B. V.

EXERCITATIONEM THEOLOGICAM
DE

SALUTIFERA
PERRUPTORIS
RESURRECTIONE,

EX MICHÆ II, 13.

SUB PRÆSIDIO

QUARTUM RECTORIS ACADEMIÆ
MAGNIFICI

DN. D. JOH. SCHMIDII, P. P.
ALUMNORUM ELECTORALIUM EPHORI,
COLLEGII B. MARIÆ VIRGINIS PRÆPOSITI
ET SENIORIS,

IN COLLEGIO THEOLOGORUM PAULINO

A. O. R. CIƆ IS CCV. D. XXI. APRILIS
PUBLICÆ

ERUDITORUM VENTILATIONI
SUBMITTIT

M. JOH. CHRISTOPH. ORTLOB,
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ ASSESSOR ET COLLEGII
PRINCIPUM MINORIS COLLEGIATUS.

L I P S I Æ,
Literis IMMANUELIS TITII.

TRIGÆ THEOLOGORUM
DE ECCLESIA JESU CHRISTI LONGE
MERITISSIMORUM,

VIRIS
SUMME REVERENDIS, MAGNIFICIS,
AMPLISSIMIS, ATOUE EXCEL-
LENTISSIMIS,

DOMINO
D. SAMUELI
BENEDICTO
CARPZOVIO,

AULÆ SAXONICÆ ELECTORA-
LI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS, ET
CONCIONIBUS PRIMARIIS.

DOMINO
D. GOTTLLOB
FRIDERICO
SELIGMANNO,
SS. THEOLOGIÆ PROFESSORI
PUBLICO LIPSIENSI, CONSISTORII ELECTO-
RALIS, ET DUCALIS ASSESSORI, MAJORIS
PRINCIPUM COLLEGII COLLEGIATO,
ET AD D. THOMÆ PASTORI.

NEC NON

DOMINO

CASPARI

NEUMANNO,

APUD VRATISLAVIENSES AD D.
ELISABETHÆ, ECCLESIAE PASTORI ET GY-
MNASII PROFESSORI PRIMARIO, CÆTERA-
RUMQUE ECCLESIARUM ET SCHOLARUM
INVARIATÆ A. C. INSPECTORI, AT-
QUE CONSISTORII
ASSESSORI.

*DOMINIS, PATRONIS, STUDIORUM
PROMOTORIBUS, ATQUE FAUTO-
RIBUS SUIS*

*OMNI OBSERVANTIÆ CULTU PROSEQUENDIS,
EA, QUA PAR EST, ANIMI VENERATIONE,
VOTOQUE OMNIGENÆ PROSPERITATIS*

LEVEM HANC

*EXERCITATIONIS THEOLOGICÆ
OPERAM*

D. D. D.

*TANTORUM NOMINUM
PERPETUUS CULTOR*

JOHANNES CHRISTOPH. ORTLOB.



בעזרת השם נתחיל ונגמר אמן ואמן

PROLOGUS.



Salutiferam Perruptoris Resurrectionem, du-
 ce Michâ prophetâ, contemplaturi, non
 est, cur de suscepti laboris sive dignitate
 sive occasione rationem reddere multum
 desudemus, apologiam nobis, textui elo-
 gium scribente Frid. Spanhemio, juniore,
 qui *Hist. Job. c. XIII. p. 394.* benignam æ-
 que ac sinceram fert sententiam: *Neque*
reprehensionem, inquit, illi incurrunt, qui
in illustrandis Vet. Instrumenti oraculis operam subinde navant,
iis maxime, quibus tanquam radiantibus gemmis distinctum repe-
ritur, prout אִשְׁרָא אֵשֶׁת אֱלֹהִים. Nam ab omni, speramus,
 reprehensione alienum erit, salutiferam meditari Christi per-
 ruptoris resurrectionem, eo magis, quod festivalem Paschatos
 atque peracti de morte cæterisque hostibus triumphî memo-
 riam in ecclesia nuper finitam, finire in cordibus velle, Christia-
 ni non sit, cujus in auribus continuo resonare convenit moni-
 tum apostoli: *Memento Jesum Christum suscitatum fuisse ex*
mortuis, ex semine Davidis, secundum evangelium meum, 2. Tim.
II, 8. Imò secundum præsens evangelium *Miche c. II, 13.* quod
 de liberatore nostro Christo, ejusque regno, dirivissimas inter

A

com-

comminationes propheta intertexuit, *tanquam insignem gemmam* iudice B. Luthero *Tom. VIII. Witt. ad h. l.* Quod insigne Vet. Instrumenti oraculum tanquam stella primæ magnitudinis præ cæteris animos affecit duumvirorum D. Cœl. Mislen-tæ atque D. Abr. Calovii, ut ejus explicationem programme paschali in academiis Regiomontanâ alter An. trigesimo se-culi elapsi tertio, alter in Witebergensi An. LXXI. proposue-rint. Quorum hoc ipse Calovius *in Bibl. illustr. ad h. l. Tom. II. p. 841. seqq.* illud assiduus scriptorum elegantiorum vindex Thom. Creenius *inter Opusc. Glassii (A. 1700. Lugd. in 4.) pag. 542.* ab interitu vindicarunt. Cum verò consueta in hoc scri-bendi genere invitatorio brevitatis vix permiserit illis aliud, ni-si aliquas (consummatas equidem non continent) neetere vindicias loci pro Christo *Happoretz*, adversus Judæos pluri-mosque Judaizantes, nec alius constet peculiaris hac de re la-bor, eum suscipere nobis persuasit rei gravitas, ut ita præstan-tissimum hoc Michæ oraculum attentius intueri, & , qua vi-res permittent, adversantium, etiam heterodoxorum castra perrumpere, Perruptore nostro gloriosissimo favente, aggre-diamur.

T E X T U S

Miche II, 13.

עלה הפרץ לפניהם פרצו ויעברו
שער ויצאו בו ויעברו מלכם
לפניהם ויהיה בדאשם

B. Lutherus :

Es wird ein Durchbrecher für ihnen herauff-fahren/ sie werden durchbrechen/ und zum Thor aus- und einziehen/ und ihr König wird vor ihnen her gehen/ und der HERR fornen an.

PAR-

PARTIS PRIORIS
PHILOLOGICO-EXEGETICÆ

SECTIO I.

De Perruptoris Personâ.

§. I.



Non verba captare cum Criticis operæ pretium erit, nulla ubi terminorum ambiguitas id ipsum exigit, sed sensum eruere cum philologis ad mentem ipsius prophetæ. Personam quod attinet perruptoris, vexata oritur quæstio: Quis prophetæ הפרץ *perruptor* audiat? Quam circa licet maximè Mislen-tæ atque Caløvii labor in commemoratis modò programmatibus versetur, non pauca tamen illustranda, addenda, distinctiusque proponenda veniunt, quæ fieri & posse & debere, collata ipsorum brevitatis partim, partim quæsitæ gravitas, fundamentum præsentis instituti complectens, quàm maxime urgent. Ad triplicem verò classem, quotquot prostant, interpretum sententias referre, melioris ordinis gratia, liceat, quarum una, verba prophetæ exprobratoria, altera comminatoria, tertia denique consolatoria esse contendendo in subjecto determinando variant. *Exprobrationem* pseudo-prophetias adamantibus latam, fere unus est, qui asserit. *Comminationem* qui volunt, in eo conspirant omnes, quod ad captivitatem respiciatur populi, sed qualem si quæras, Assyriacam an Babylonicam, an verò utramque, sicque rex Judæ an hostis perruptorem egerit? Hic Rhodus, hic saltus. *Consolatio* prophetæ plures licet nacta sit asseclas, & quidem unanimes in ipso veritatis limite, plures tamen etiam in determinatione objecti fovet dissensiones, cum alij hominem nudum, eumque liberationis sive autorem sive ducem, alii angelum, alii Messiam, ejusque præcursores Eliam, sub perruptore intelligant. Quibus autem assensus, quibus dissensus debeatur, lectoris erit judicare, si singulos, acie semel instructâ, in arenam produxerimus.

§. II. Primo indignationem prophetæ adversus pseudoprophetas studiose captantes contineri, inchoatam in antecedentibus, & hucusque

continuatam, R. Aben Ezra in *Eibl. Buxtorf. Rabb. Tom. II fol. 700. col. 3. c. med.* statuit. Totus itaque in eo est, ut contemptum prophetarum Domini, vice versa pseudoprophetas sequendi fervorem exaggeret, & ex coherentiâ textûs sequentem in modum illustret: ככה אתם תעשו כנביאי השם שלם יעשו לאומותם אולי תשובו אל השם ולא תתגרשו סארנכם כאשר קגדשו אתם הנשים וככה אם יבוא אים שיתנבא בדברי כוז ויאמר להם שמו. ושמחו ויאמר השם כי תנחו במקומם ואשר כלו ונעו ישבו למקומם כמו שכתו' אחריו **אחרון אמרוף** *Ecce vos præcipitis prophetis Domini, ne stillent (vaticinentur) ut redarguant vos, (sed) fortassis revertemini ad Dominum, ut non expellamini ex terrâ vestrâ, quemadmodum vos expellitis uxores, (v. 9.) sed ecce, si veniat vates mendaciorum, vobisque dicat: Bibite atque gaudete, nam quieti eritis in loco vestro, quique vagabundi sunt & vagi, revertentur ad locum suum, prout scriptum est postea: colligendo colligam, (v. 12.) & congregabimini vos omnes; tunc est stillans (vates, gratus) populo huic, (v. 11.) vobis, cum ita canat versiculum hunc.* Nempe duodecimum, quem totum pseudopropheta adscribit, qui amicabili persuasione de gratiâ Dei (colligentis & multiplicantis instar ovium Bozræ) populum lactant, falso licet, non tamen frustraneo conatu, quem ex ipsâ ascensione perruptoris, perrumpentiumque egressu elicit hunc in modum: אם תפרץ אחת הראשונה כולם תכרננה ותצאנה זו אחר זו וככה יעשו ישראל בדברי נביאי השם כמו הראשון שילכו לרעות *Quodsi perrumpat una ovis, & egrediatur primum, omnes perrumpunt & egrediuntur, una post alteram; & similiter faciunt Israelitæ ad verba Pseudoprophetae, instar gregis discurrentis ad pascua.* Tandem verò ad comminationem pœnæ provocat, quam propheta noster *c. III, 5.* pseudoprophetae severam prædicit. Cui sententiæ assensum quis daret, non video, nec dignæ quidem aliquâ refutatione, utpote qui miscet quadrata rotundis, & more *רמזים homiletarum* ad verba magis quam rem ipsam intentus scripturam ingenio suo metitur, non explicat.

§ III. SECUNDO, Babylonicam an Assyriacam propheta intendat captivitatem, satis ambiguè loquuntur interpretes, indicium forsitan malæ causæ prodituri. Interea Babylonicam maxime respiciunt, qui cum Vatablo *ad b. l.* atque Drusio *ad b. l.* non hostem, sed regem Judæ Zedekiam perruptorem appellant, ex eo, quod perrupto Hierosoly, marum muro, noctu fugam tentans à Chaldæis captus, & comite populo Judæ,

Judæ,

Judæ, Babyloniam deductus fuerit, 2. Reg. XXV, 4. 5. coll. 2. Paralip. XXXVI. Horum numero Mislenta *l. c. p. 547. n. 3* adscribit Calvinum, Pareum, atque R. Dav. Kimchi, an recte fatis, judicare nolumus. Certe Calvini glossa, quam adducit, portam murosque ab hostibus potius frangendos subindicat, adeoque alteram redolet sententiam. Quem huic socium adjungit ipse argumentis alterius partis adductis, ad genuinam potius de Christo expositionem inclinat. Vid. Pareus *in Calv. Orthod. l. 2. c. 24. c. fin p. 181.* Nec ipse R. Dav. Kimchi, sed potius pater ejus, Josephus citandus fuisset, quem ille refert asseruisse Zedekiam perruptorem. Nam *על שברו של ה' פירש* *exponit*, inquit, *Dominus parens meus* (Josephus Kimchi) *de Zedekia.*

§. IV. Nec prolixo hic opus erit examine, partim, quod in fundamento cum subsequenter convenient, adeoque unâ fideiâ duos dealbare parietes datum sit; partim, quod assertio, quæ unice hujus loci, Zedekiam perruptoris nomine venire, siculneo nitatur argumento, si prophetæ verba cum historia facti conferas. Radix *פירש* *perrupit* non tam de muro, quàm hostium catervis, aperta vi perrumpendis, in scriptura sumitur, uti David de prostratis hostibus Philistæis loquitur: *פירש יהוה* *perrupit Dominus hostes meos*, 2. Sam. V, 20. Hoc etiam alienum à Zedekia & populo, qui fugiendo, non militando, salutis suæ consultum iri existimantes nocturno tempore non perrumpebant hostes. Nec regis fugitivi descriptio indicatur, sed herois bellicosi, victoriam bene sperantis, ubi dicitur: *Et transit rex illorum לפנייהם* ante illos, pro quo substituenda fuisset altera Ezechielis magis consona delineatio: *Princeps ipse, qui בתוכם* *in medio ipsorum* (en alium principis locum atque constitutionem!) *super humerum portans cæca nocte egredietur*, num antesignanus per portam? *in muro perfodient foramen להוציאו* *ad educendum eum per illud c. XII, 12.* Num denique fugientium est symbolum, quod propheta addit: *יהוה בראשם* *Jehovah in principio ipsorum?*

§. V. B. Tarnovius *in Exerc. Bibl. Class. IV. Loc. 2. n. 7. p. 444. & Com. ad b. l. p. 44. seqq.* ut solus fere ex nostratibus de Christo perruptore agi pernegat, ita solus fere etiam atque intermedius collocandus venit, eo nomine, quod ab utriusque partis sententia participet. Ab antecedanea quidem, asserens non hostes obsessores sed obsessos Hierosolymarum cives cum Zedekia rege ipsorum præ timore muros perrupisse; à

subsequenti vero, quod per ascendentem perfractorem simul & Assyrium & Babylonium hostem intellectum velit. Zedekiae quomodo competat perruptoris titulus, vidimus modo, modoque videbimus, an simul & Assyriis & Babyloniis competat, ut peculiari disquisitione hic loci supersedere queamus, praesertim quod argumenta auctoris generalia sint, & captivitatem populi, utra illa fuerit, intendant. Interim vel obiter notare volumus, hanc ipsam sententiam singularem eo magis gravari praeter ceteris, quod simul & factum Zedekiae proprium in murorum perfractio, & sociam Hoseae Israelitarum regis fugam formaliter in textu haberi contendat, insignis alioquin interpretis, non sine constructionis perturbatione, ob continuam subjecti immutationem, pro quo substituit modo hostem, *ascendit perfractor*, modo obsessos de tribu Judae, *perrumpent*, modo & Judam & Israelem, eorumque reges, *transibunt* &c. tandemque ad primum atque remotissimum redit, hostes, & *de ipsis in capite Jehovah* esse pronunciat. Quod evitare ex parte nituntur reliqui captivitatis utriusque defensores, jamjam in medium producendi.

§. VI. Tertio itaque utramque captivitatem & Babylonicam & Assyriacam respicientes, solos malunt hostes, eosque aut milites aut reges utrosque tanquam perfractores ascendisse, perrupisse, portas transiisse, ut praeretur rex & Zedekias & Hoseas populum in captivitatem, idque Jehova prosperante in capite hostium. Cui adstipulantur longe plurimi, eosque inter, praesentis loci interpretes, Calvinus, Junius atque Tremellius, Piscator, Grotius, Lud. de Dieu *Crit. S. ad b. l. p. 287.* atque John. Trapp. *Com. upon the XII. min. Proph. ad b. l. p. 348.* Ex parte illis pollicem premere diximus B. Tarnovium, & quid ex parte? cum totus in eo sit, ut conquisito omni argumentorum pondere, non habitam amplius ratione restringendi ad Zedekiam, utramque populi captivitatem adstruere, quam maxime contendat, summa tamen, pro genio pii theologi, modestia, cujus vestigiis insistere in resolutione argumentorum ejus annitemur. Nec modestiae, ut videri posset, id adversabitur, quod ipse approbat: *Tu, inquit, (l. c. p. 440. n. 3.) lector benevole, meam explicationem ad verbi divini normam examina, si proba esse videtur, accipe, sin minus, rejice, quod illa reproba.* Caeterum utraque ipsi manu largimur, nec impiam esse, nec fidei analogiae adversam, quam fovet, sententiam, maxime cum rem ipsam alterius partis nullatenus neget, solaque quaestio sit, utra sententiarum de Christo locum explicans, an, quae captivitatem

tempo-

temporalem inde eruit, ut sit simplicissima textuique magis conformis? Negat de priori, de posteriori affirmat, desumptis aliquot à vocum proprietate & contextu argumentis, quæ sequuntur.

§. VII. *Proprietatem* quod attinet *vocum* sive *emphasin*, urget quoad utrumque versiculum, utriusque enim hic rationem habere necesse est, & quidem voces versiculi antecedentis omnes geminam habere significationem. Sic (1.) radices **אסף** *collegit*, **קבץ** *congregavit*, **שׂוּב** *posuit*, item nomina *Israelis* & *Juda* & in bonam & in malam partem in scripturis accipi, exemplis fide dignis declarat. Sed quid inde roboris accedit ipsius sententiæ, nil magis sane, quam alteri, quæ voces, quas ipse in malam partem interpretatur, vice versa in bonam accipiendo ad Christum potiori jure applicat. (2.) Vocem **שארית** *reliquiæ* non tantum de reliquiis quibusdam Judæorum electis usurpari notat, sed & de aliis, v. g. superstitibus ex bello, peste aut fame. Verum subordinata hæc sunt non contraria, & quid obstat, quo minus invertamus valorem argumenti: Si **שארית** *reliquiæ* æque de electis Judæorum, quam superstitibus ex variis calamitatibus dicuntur, sequitur prophetam de colligendis reliquiis utriusque generis ad ecclesiam N. T. adeoque de Christo loqui. Convenire enim descriptionem illam reliquiarum statui Judæorum, sub adventu Christi Messia, calamitoso, & plantationi Ecclesiæ, probatione non indiget. (3.) Verbo **תהימנר** *perstrepent*, propriam & frequentissimam notionem tumultuandi ex dolore, aliaque perturbatione attribuit, sed frustra, cum contrarium testetur ocularis inspectio, ita quidem, ut radix illa (cui nomen *tumultus* inde derivatum nihil præjudicat) de tumultuantibus atque perstrepentibus præ lætitia, v. gr. de terra perstrepente, exultantibus Israelitis ob adventum arcæ in castra, *1. Sam. IV, 5.* de incolis tam urbis Bethlechem sub reditu Nahemi *Ruth. I, 19.* quam Hierosolymarum, uncto in Regem Salomone *1. Reg. I, 45.* (4.) verbi **פּרץ** *perrupit* significationem, quam esse addit, non repugnat sensui genuino, quod in hujus deductione patebit.

§. VIII. Ut vero his ex vocibus separatim aut parum, aut nihil probatum iri satis apparet; ita, quam ipse omisit, *phraseologiam* & *construendi rationem* tantum non penitus adversam monemus. Quoad *prius*, quæritur: Quis omnium simplicissimus sit primusque phrasium conceptus, *colligere aliquem totum* & *congregare reliquias*, ad conservationem an dissipationem & interitum? Non *hic*, quia animi statum natura-

lem

lem immutatum affectu iræ præsupponit; Ergo ille, qui est ad conservationem; ab hoc vero cur recedunt collectionis ad interitum patroni, sine urgente necessitate? Idem esto Judicium de similitudine ovium Bozræ perstreptentium, de perfractoris ascensu, de transitu portæ, de ducibus & Rege & Jehovah. Quæ omnia & singula natura sua nihil mali involvunt, nisi etiam subjectum agens affectu iræ immutatum concipiatur, quod à contextu svaderi frustra prætexunt. Quoad *posterius* constructionem scil. maxime contortam, recedere quidem paulo ante monuimus (§. V. *fin.*) à B. Tarnovio reliquos utriusque captivitatis propugnatores, quod perruptentium nomine non obsessos, Zedekiam cum populo, sed obsessores, hostes Assyrios & Chaldæos intelligendos velint, nondum tamen sublata omni constructionis anomaliâ. Quam, quod mordacius retineant, suffixa docent, quæ pro lubitu, non ut boni interpretis est, ad subjectum proximum, sed maxime remotum referunt, tum in מלכיהוּ rex illorum scil. Judæ totius & reliquiarum Israelis ex v. ant. 12. tum in מלכיהוּ in principio ipsorum, scil. ascendentium atque perruptentium hostium. Imò singularem actum עלה ascendit, de uno subjecto perfractore dictum, diversis penitus subjectis Assyriis & Babylonis in individuo applicant, nulla diversitatis aut temporis, aut loci, aut modi, habita ratione, cui simile, præter consuetam Judæ & Israelis conjunctionem, in Prophetis totaque dixerim scriptura vix ac ne vix quidem invenire dabitur.

§. IX. *Contextum* præterea urget præ cæteris B. Tarnovius, ratione & antecedentium & consequentium. Respectu *antecedentium* occasionem præsentis de captivitate comminationis remotam æque ac proximam inculcat, inque summam ut contrahamus, non abs re erit, brevem atque perspicuam ipsius analysin totius capituli adjicere. Sistit illam, pro ea, qua solet ἀπερίστα (Exerc. l. c. n. 4. p. 441.) sequenti inclusam enthymemati: *Israelitæ sunt inhumani & avari, proximorum, peregrinorum, uxorum & pupillorum (v. 1. 2 8. 9.) oppressores, verbi Dei maximososores (v. 6.) contra, pseudoprophetarum strenui amatores (v. 11.) Ergo, ex justitia verbi divini (v. 7.) deprimentur (v. 3.) vastabuntur (v. 4.) ex domo Dei ejicientur (v. 5.) ex terrâ suâ perdentur (v. 10.) ipsi mali omnes (v. 12.) cum suo rege. (v. 13.) De Consequentibus monet, proximum imprimis Caput quartum, idque totum, gravissimis Dei, vindicis scelerum, comminationibus refertum esse, adeoque omnem occasionem præ-*

præ-

præcludi, præsentem quoque textum alterius generis sibi concipere. Quod ipsum autem quanto certius est infirmo niti talo, atque sub vindiciis alterius genuinæ sententiæ suo loco (§. XVIII.) redibit, tanto minus comminationem nostri, præcedentisque versiculi certò & indubitato evincit, quin potius dubium reddit lectorem, cur propheta captivitatem modò prædictam, (v. 10.) interjectâ pseudoprophetis faventium exprobratione, (v. 11.) denuo repetat, (v. 12. nostroque v. 13.) nec potius ansam de consolatione cogitandi suppeditet.

§. X. QUARTO, hominem nudum perruptoris nomine, prophetæ venire qui volunt, unà omnes liberationem Judæ ex captivitate Babylonica intendunt, in eo tamen invicem discrepantes, quis titulo perruptoris insigniri meritò debeat. Cyrum alii Persarum regem liberatorem captivi Israelis aut dimissorem constituunt perruptorem, qui à Domino excitatus edictum promulgaverat singulari singulos monito adhortans: *ascendite Hierosolymas, quæ sunt in Judâ, & edificato domum Jehovæ, Dei Israelis, illius Dei, qui habitat Hierosolymis. Esr. I, 3. coll. e. Par. XXXVI, 23.* Alii variam prævidentes difficultatem, quæ premit Cyri æstimatores, eam effugisse rati autumant Serubabelem à prophetâ intendi sub perruptore ascendente coram iis, qui captivitate Babylonica egressi fuere, haud procul in eam sententiam deducti, quod primum inter ascendentes cum populo principes locum ipsi in historiâ reversionis scriptura assignaverit, *Esr. II, 2.* Etsi verò hæc ipsa interpretatio de liberatione ex captivitate Babylonica veritati propius accedat, ipsius quasi limites attingens, quod missâ, quam alios defendere audivimus, comminatione, intentam à Michâ consolationem meritò substituant, nec impia sit, typum sistens liberationis humani generis, sub peccato captivati. Cum tamen typum inferre non debeamus, ipse ubi antitypus locum invenit, liberationem istam, sive Cyro adscribatur, sive Serubabeli, uno eodemque argumentorum valore refellere commode poterimus.

§. XI. Notamus itaque, quæ ab horum assensu nos retrahunt, sequentia: (1) Etsi scriptura tam Cyrum quàm Serubabelem Christi typos singulari caractere, hunc servum Domini, annulumque signatorium *Hagg. c. ult. v. ult.* illum מִשְׁחָה seu unctum Domini *Ez. XLV, 1.* appellet, neutrum tamen perruptoris nomine dignum, ullibi judicat, quod hic typice factum esse si dicas, non dicam, petitionem sapere principii, sed commissionem falsi, cum typum antitypus, ubi res patitur, utique tollat.

B

(2) Neu-

(2) Neuter horum ascendisse dici potest **לפניהם** *coram iis* ; non Cyrus, qui ipsos abiturientes nullatenus secutus est ; non Serubabel, qui ducem se quidem præbuit illis, non tamen, qualem textus describit, solitarium, sed stipatum aliis principibus, *Esr. II, 2. Neb. VII, 7.* (3) Ascendentes ex captivitate, non **פרצו** *perruperunt*, sed à Cyro, instinctu divino, ultrò dimissi, sine omni armorum strepitu aut violentiâ, uti futurum Serubabeli prædixerat Dominus Zebaoth **לא בחיל ולא בכוח** *non exercitu, neque robore, sed spiritu meo, Zach. IV, 6.*

(4) Antecessurus dicitur **מלכם** *rex illorum*, sc. Judæ & Israelis, uti constat *ex vers. 12.* jam verò Israelem nec dimiserat Cyrus, nec in Palæstinam deduxit Serubabel ; imò solius Hic Judæ **פחת** *princeps Hagg. II, 3. &c.* nunquam Ille rex ipsius in Scripturâ dicitur. (5) Posito etiam solum de Judâ sermonem esse prophetæ, regem tamen cur appellasset, regio titulo post captivitatem penitus exspirante, facie aliâ regiminis sub ducibus sive præsidibus introducta, de quâ vid. Lud. Cappelli *Comp. Hist. Jud. in Pref. quod habetur Bibl. Crit. Tom. VII col. 3189.* (6) Pariter & Juda & Israel redire unâ debuissent, transeunte rege illorum **לפניהם** *coram iis*, quos *vers. 12.* nominaverat, sed horum ex mente solum Juda rediisset, regem sequendo, non Israel, utpote, quem nec captivum deduxerat Cyrus, nec dimissum reducere potuit Serubabel. (7) Posito iterum, eoque multominus concessio, solum Judam rediturum hîc dici, nondum tamen complementum suum accepisset hæc præsens Michæ prædictio. Nam cum de Jacobo s. Judâ Dominus dixerit : *colligendo colligam כרך* *te totum, Jacob, v. 12.* deque eo, ut ex ipsorum hypothese loquar, continuaverit hucusque sermonem, ad oculum patet, non prædici reditum ex captivitate Babylonicâ, utpote, quem universalem omnium non fuisse testatur historia sacra, ubi ascendisse dicuntur, *cujuscunque excitavit Deus spiritum, Esr. I, 5.* Quâ restrictione opus non fuisset, si omnes ac singuli rediissent. Imò catalogus redeuntium *Esr. II, 3. seqq. coll. Neb. VII, 6. seqq.* ansam suppeditat dubitandi, omnesne redierint sub tantâ familiarum commixtione, ut multi non potuerint indicare familiam majorum suorum, *utrum ex Israelitis essent, Esr. II, 59. coll. Neb. VII, 61.*

§. XII. QUINTO non desunt, qui angelum percussorem castrorum Sennaherib regis Assyriæ *2. Reg. XIX, 35.* cum perruptore, quem propheta describit, unum eundemque esse fatagunt. R. Abarbenel, cujus verba brevi post sub incudem vocanda erunt, dum præter Nebucadne-

cadne-

cadnezarem expressam Sennacheribi, in designando, ut ipsi videtur, gemino perruptore, mentionem injicit, favere huic sententiæ dicendus foret, nisi circumstantiæ reliquæ aliud exigere, aut ad minimum rem in suspenso relinquere nobis persuaderent. Cum enim de rege Sennaherib nulatenus dici queat, quod portas Hierosolymarum perruperit, transierit, deduxeritque in captivitatem expugnatae urbis cives, ad Salmanassarem vero Samariæ expugnatorem, quasi socium in tyrannide, Nebucadnezarem optimè quadrent, pro Salmanasseris nomine Sennaheribi forte irrepsisse conjicimus, præsertim, quod ex ipsius hypothese, propheta Israelitas, in ipsâ suppressione horum tyrannorum, præsentia divinæ providentiæ erigere aliàs frustra annisus esset, si illam nunquam ratione Sennaheribi adversam experti fuissent. Rariores igitur imò rarissimos hæc ipsa sententia nacta est patronos, unde argumentorum. & numero & pondere deficiente, prolixius eidem immorari non opus erit. Accedit, quod Cœl. Mislenta *l. c. p. 550.* (qui tamen nec ipse asseclas sibi notos allegavit,) operosior sit solito, in demonstranda inconvenientiâ perruptoris hujus cum percussore angelo, cum neque huic, neque regi Hiskia, neque populo, perrumpendi aut ascendendi actus hoc sensu competat.

§. XIII. SEXTO, Messiam ejusque præcursores Eliam, indicari hoc nostro vaticinio, Rabbiorum non pauci defendunt, nostrumque fundamentum veritatis, obfuscato licet animo, mediâque meridie cœcuentes, contestantur. Cæterum non de solo illos agere Eliâ, nec de ejus in cœlos ascensione, quod subsumsisse videtur Mislenta *l. c. p. 547.* sed ipso simul Messia rege satis constabit, si mentem illorum succinctâ expositione dilucidaverimus. Inter signa adventûs, quem anxii expectant, Pseudo-Messia ipsorum, reditum prophetæ Eliæ, principe loco numerant, quo factò, futuram à gentibus, quibus premuntur, liberationem miseri consolatores sibi concipiunt, pro fundamento potissimum ponentes oraculum *Malachia c. IV, 5.* quod B. Frischmuthius peculiari dissertat. *de Eliæ, quem Judei etiamnum frustra præstolantur, adventu,* accuratâ, ut solet, industriâ *A. 1659.* in almâ Salanâ vindicatum reliquit. Imò nuncium fore Eliam advenientis Messia, plane sibi persuasi, dies norunt, quibus ipsorum adventus à se invicem olim distabit, ex testimonio, ut apparet, R. Abrahami Ben David, quod interprete laudato Philologo *l. c. c. 2. §. 5.* referimus: חכמים אומרים לעשות שלום לעולם כלומר לעשות שלום לישראל

והיום יבוא הגואל וזה יום אחד לפני בואת המשיח

dicunt, venturum Eliam, ut pacem faciat, q. d. ut Israeli pacem conciliet liberando eum à gentibus, & ut adventum redemptoris ei annunciet, atque hoc pridie fiet, quam Messias advenerit. Ex hoc igitur fonte fluunt, quæ pro illustratione hujus loci immiscet R. Is. Abarbenel *Com. in Proph. Poster. ad h. l. fol. 262. col. 2. c. med.* ubi de disperforum collectione v. 12. prædictâ loquitur: ועם היותכם עתה עם מפוזר ומפורד בין העמים יחד אשימו כנף צרה כי לא יהיה גלותכם נצחיי וכבר נתבתי שבצרה היא דומי הכרך הגדול בקבלת *Etsi sitis jam populus dispersus atque dissipatus inter populos, unà ponam eum sicut gregem Bozra, quia non erit captivitas vestra aeterna, dudumque annotavi, quod Bozra sit Roma civitas magna in Cabbalâ Sapientum. p. m.* Subjungit rationem hujus denominationis, constare nempe ex chronico Romanorum, Romam, antequam ædificaretur, locum pascuorum fuisse præstantissimum, atque habitationem pastorum, qui eam נאליכס'יהא *Valentiam* dixerint. Quod autem Romæ præ cæteris mentionem fecerit propheta, factum esse quasi per Synecdochen, quod appellationis ratio prophetis constaret, & ad similitudinem ab ovibus sumtam faceret, ut ita grex Bozræ denotet captivitatem universalem & Judæ & Israelis sub E-dom s. Christianis in Bozrâ s. Româ, & quem sub eâ intelligit, toto orbe christiano, ubi uniti sunt invicem נתק הדבר כער *tanquam grex in medio ovilis sui.* (v. 12. de quo hæctenus.)

§. XIV. Cum vero idem Abarbenel perruptoris nomine Sanheribum (Salmanassarem forte) atque Nebucadnezarem designet perruptores portarum, nec tamen cum aliis comminationem his verbis proponi velit, ingeniose, ut amat, acutus interpret consolationem elicit, &, quod magis est, priorem continuat, dum addit: לפי מהם היות שעל-ה הפורץ לפניהם שהוא סנחריב מלך אשור ונבוכדנצר והם פרצו ויעברו שער בלכתם לארץ אויביהם בגלות בנה לא זזה ולא נסתלקה מהם ההשגחה האלהית כי תמיד עבר מלכם לפניהם וה' בראשם שהוא מלכם האמת או שמו בימי גאולת יעקב מלכם מצית דוד עליהם וה' בראשם על דרך מה שאמר עוד ישבו בני ישראל ובקשו את ה' אלהיהם ואת שמו *Nam cum fieret, ut ascenderet perruptor in conspectu eorum, qui erat Sanherib rex Assyria & Nebucadnezar, ipsi enim perruperunt & transierunt portam, cum irent illi in terram hostium suorum, in captivitatem; ecce nihilominus non recessit, neque sublata est ab illis providentia divina, sed continuo transiit rex illorum coram iis, & Deus in principio eorum, quia ipse est rex eorum verus, aut, quia tunc in die-*
bus

bus captivitatis ipsorum transiturus esset rex illorum ex domo Davidis super eis, & Deus in principio illorum, eum in modum, quo dicitur amplius: Reversi Israelitæ quærent Jehovam Deum suum, & Davidem regem suum, &c. (Hof. III, 5.) Hanc suam expositionem, rejectâ alterâ, quæ מי חבל מה שפרשתי אתי הוא אכלה בדרך פורענות *duos versiculos hos postremos in modum* *pena* exponit, demum finit gemino testimonio: אכלה בדרך פורענות וכן תרגם יונתן הכתובים האלה בדרך נחמה לעתיד וכן בדרך עליון *Sed id, quod exposui ego, magis firmum est, similiterque transposuit Jonathan versiculos hos ad modum consolationis futurae; Similiter etiam in Derasch: Ascendit perfractor in conspectu eorum, (exponitur) hic est Elias, & tranfit rex eorum coram iis, ille est Zemach (conf. Jer. XXIII, 5. XXXIII, 15.) filius Davidis.* Paraphrasis verò Jonathanis Chaldaica, (quam quomodo sibi favere B. Tarnovius *Ex. Bibl. p. 453. n. 4.* asserat, non apparet,) hæc est: יסקון משזבין כר בקדמיתא ויכק מלך מדבר ברושיהון ויתבר בערי רבבא דמעיק להון ויכביש כרכן תקיפין קרוי עממיא יחסנונן ויהי מלכהון מדבר ברושיהון ומימרא *Ascendent liberati in conspectu eorum, & ascendet rex ducens in principiis ipsorum, frangetq; hostes coarctantes eos, & subiget munitiones validas, civitates populorum, hereditabunt eas, & erit rex ipsorum dux in principiis eorum, & Sermo Dei (i. e. Deus ipse, vid. Laur. Weger. *diff. pecul. de Verb. D. occas. huj. phras. §. 8. seqq. Regiom. 1682.*) in auxilium ipsorum.* Hæc Hebræorum de scopo nostri vaticinii sana & insana mens est. Sana quidem agnoscentium, Messiam in textu respici, quo nomine testes ipsi veritatis, veritatis suppressores Christianos antecedunt, nullâ prorsus *ψευδεργμηνείας* notâ hîc adurendi. Sed insana simul mens est substituentium, novum Messiam olim futurum, novumque ipsius præcursorem, de quo hujus loci non est plura addere.

§. XV. SEPTIMO tandem, remotis, quæ movere hæctenus visa est *παρεργμηνεία*, obstaculis, de genuinâ prophetæ mente concludimus, Christum Messiam in gloriosâ suâ resurrectione triumphantem, illum ipsum הפרץ *perruptorem* esse, qui perruptorio suo ascensu dux & antesignanus vereque *Δεάνθρω* perruptoribus reliquis fidelibus atque electis viam sternendo præiturus hic dicitur, præivisse etiam scripturis innixa fidei analogia confirmat. Removemus statim in ipso accessu omnem loquendi rationem typicam, suspectam, quod ex præjudicio fluat excuf-

farum hæctenus hypothesium, quin falsam hîc & ubique locorum, ubi antitypus per se spectatus sine typi præmissione commodam applicationem invenit. Svadet id ipsum natura typorum V. T. in quibus evolvendis probè dispiciendum venit, umbra an veritas nuda proponatur? sub involucro, an secundum literam prophetæ de Christo loquantur? Svadet genius dicendi prophetarum divinus, quo, de aliis rebus locuti, ad scopum scripturæ ultimum Christum convertuntur, & amplectenda sensu literali vaticinia hæud rarò decantant. Utrumque observat dux veritatis hermenevticæ, B. Glassius, illud quidem *Phil. S. l. 2. P. 1. tr. 2. S. 4. can. 6. p. 333.* hoc autem *l. 1. tr. 4. S. 1. can. 8. p. 229* ubi auro charius inculcat monitum: *Canon hic (posterior, sed quidni etiam prior?) diligenti scrutinio & consideratione dignus est, propter Calvinum & alios, qui manifesta de Christo prophetarum oracula aliò detorquent, vel de Christo typice duntaxat, de aliis vero rebus in sensu literali agere existimant.* Subjungit exempla, quorum numerum præsentem etiam loco nostro augeri & illustrari posse res ipsa loquitur. Interim nulli negamus, ad phrasæ adeo grandifonas prophetam occasionem nancisci potuisse harmoniâ alicujus facti similem triumphi solennitatem involventis, cum aliàs prophetis in more positum sit (monente denuò B. Glassio *l. 1. tr. 4. S. 1. can. 5. p. 227.*) in phrasibus suis de rebus N. T. respectum habere ad conditionem V. T. Sic v. g. insignis est præsentem inter ascensum, populique Israelitici ex Ægypto, harmonia, de hoc etenim iisdem fermè phrasibus dici potest: *Ascendit perruptor* Christus, Israelis per desertum comes antesignanus *coram illis, perruperunt illi conatus resistentium, negantiumque illis egressum, & transeuntes portas, exiverunt Ægypto, idem Christus tam dux illorum præivit eis, quàm Jehova in principio ipsorum.* Sed quis inde typum esse, aut eo necessario respexisse prophetam, inferret, cum mere homileticam sapiat applicationem.

§. XVI. *Probamus* itaque in sensu literali, oraculum præsens de Christo loqui (1) *ex coherentia textûs.* Classicum canere propheta à Deo jussus *surgite, inquit, abite, quia non est (terra) hæc requies.* Ne verò vel innocentiam prætexerent, vel pœnam leviozem re ipsâ, sibi conciperent, addit immediate: *propter impuritatem perditura est vos, & quidem perditione נמרץ abominabili, acerrimâ. v. 10.* Prosequitur id ipsum propheta ulterius pro diversitate eorum, ad quos sermo dirigebatur, & ne impii perditionem hanc & denegatam requiem, ex persuasio-

ne

ne pseudoprophetarum, pro fabulâ toties decantatâ haberent, certitudinem ipsis inculcaturus addit causam, cur perditionem illis abominabilem esse præsciret, quod nempe vatem nolint alium, nisi qui quietem lucri causâ falsus mentiretur, v. 11. Interea spem fovebat propheta, aliquos temporali hâc pœna, ad bonam frugem imposteros redituros fore, his certè non potuit non, more aliorum prophetarum, subicere consolationem. Hanc à contrario eleganter desumens, ut impiis quietem denegaverat, perditionem s. dissipationem minatus, ita resipiscentibus collectionem ad ecclesiam N. T. tanquam ovile v. 12. quietem verò, quâ ecclesia militans destituitur, æternam, olim in cœlis promittit v. 13. Quæ omnia sufficientem textûs cohærentiam satis evincunt. Cùm verò consolationis initium versu nostrum proximè antecedente fieri demonstraverimus, nostri verò instituti non sit, prolixum in eum s. vindicando s. illustrando scribere commentarium, vi vocum ad minimum phrasiumque, paraphrasticè sensum intimasse sufficiet. Illas pro adversantium sententiâ nihil facere, & ex propriâ ipsorum hypothese in utramque partem & bonam & malam sumi posse, supra (§. VII. & VIII.) exposuimus, hinc sensum ad tempora N. T. applicatum hunc esse putamus: *Colligendo colligam te, Jacob, totum, & secundum carnem & imprimis secundum promissionem talem, convocando universaliter, congregando congregabo reliquias Israelis Messiam fide amplexuri, & simul ponam eum sicut oves Bozrae, unum ex gentibus & semine Abrahami constituens ovile, ecclesiam; ut grex in medio ovilis sui perstreperet præ multitudine hominum, cum capiet ecclesia incrementum, fideliumque ubivis sese diffundet copia maxime insignis.* Conf. Calovius *Bibl. illustr. adh. l. p. 835.* & Glassius *Onomat. Mess. Propb. Class. 4. n. 14.*

§. XVII. Probamus, de Christo perruptore hîc agi, (2) *ex ipsò textû,* cujus sensum & vocum proprietatem, & phrasium simplicitatem, & constructionis denique integritatem comprobatum reddunt. Adest, inquam, vocum proprietatem phrasiumque simplicitatem, nec unica quoad utrumque notari ex æquo poterit, quam à nativâ significatione deflexam, contortamque jure exprobrarent, contenderent, evincerent. Competit triumphatori nostro perruptoria ascensio, ut & majestatica Ducis & Jehovæ præitio; competit insuper fidelibus eam secuta perruptio & egressus, quicquid adversus verborum פּרַע atque פּרַעֲוִי significatum præ cæteris B. Tarnovius excipiat, quod hujus loci non est fufius prosequi, cum tota subsequens sectio-

ctio-

etionum pertractatio demonstrationem exhibeat ocularem ac apologeticam, quàm verè, quàm commodè, quàm sponte, singulæ five voces five phrasæ, & Christo & Christianis respondeant. Adest ipsa quoque constructionis integritas, nullibi læsa, nullibi contorta, sed præ adversantium sententiis, illibata omniumque facillima, quâ de re testes provocamus, ocularem inspectionem, collationem nostræ & adversariorum sententiæ, optimam denique perruptorem inter, eumque sequentes, analogiam. (3) *Ex analogiâ ipsius fidei*, cui præsentem sententiam exactè conformem, & alias in scripturâ etiam V. T. satis firmatam agnoscunt etiam illi, qui quoad hunc locum à nobis dissentiunt. (4) *Ex tacitâ adversariorum confessione*, cujus rei se varia produnt vestigia. In genere videtur malum ab ipsorum parte indicium, quod maximum fereque unicuique illis sit offendiculum, contextus, quem tamen perspicuum satis esse evictum dedimus, brevique post vindicatum dabimus. Imprimis Parei *Galv. Orth. l. 2. c. 24. p. 181.* notanda venit perplexitas, qui, ne in Calvini defensione vacillet, recedere quidem ab ejus sententiâ in totum non vult, nihilominus sese *de Christo locum libenter accipere* ingenuè fatetur. Confessus est, imò defendit acerrime B. Tarnovius *l. c. p. 445. n. 9.* tantum non omnia hujus & antecessoris versiculorum verba generalem inque utramque partem flexibilem habere significatum; quod pro nobis facit quam maximè. *Tutius enim agunt, qui ubi nec textus ratio, nec fidei analogia obstat, ubi vis Christum in prophetis querunt, & licet obscurius inventum amplectuntur*, ait D. Joh. Schmidius *ad b. l. p. 818.* & ad exemplum Apostolorum provocat ex *Pf. LXXVIII, 2. coll. Matth. XIII, 35. &c.* Typum qui inferunt, satis veritatis radios mentem ipsorum attingisse produnt veritatis manifestæ occulti testes. Addimus tandem in gratiam eorum, quibus autoritas magni fit, (5) *Consensum optimorum longeque plurimorum interpretum*, qui generatim de Christo accipiunt oraculum, licet alio atque alio modo applicent. In genere de Christo exponunt Joh. Henr. Heideggerus *Enchir. Bibl. l. 1. c. 29. §. IV. n. 3. p. 340.* atque Aug. Pfeifferus *Dub. Vex. Cent. IV. Loc. 89. p. 853.* aliique, quos recensere prolixum foret. In specie nobis alleganda erunt, *Gerhardi, Glassii, Calovii, Bebelii* consentientium quoad objectum generale, nomina, in annexâ proximò loci explicatione, ad quam autoritatis cupidos dimittimus.

§. XVIII. *Vindicamus* denique sententiam nostram brevissimis, ab
 obje-

objectionibus adversæ partis, in unum quasi hoc centrum confluentibus: *Non tantum in toto hoc, sed etiam in toto precedenti ac consequenti capite tertio minæ continentur, quibus sine ullâ adversativâ vel simili particulâ, aliove indicio loci & temporis adjiciuntur & immiscentur hæc verba.* Tarnovius *l. c. n. 16. p. 449.* Responsum hîc dare triplex, triplex objectionis membrum nos adhortatur. Et quidem (1) Nulli negamus præsentem consolationem meris undiquaque hinc & illinc minis, iisque gravissimis totam cingi. Sed quid inde? Fecit id ipsum Michas aut juxta aut præter morem prophetarum V. T. Non præter morem, contrarium enim, nostræ vero hypothese conforme, nos edocet observata Glassii *Phil. S. l. 1. tr. 4. S. 1. can. 7. & 8.* cautela, quam confirmant exempla *Mich. IV. & V. Es. II, 2. VII, 14. Hof. III, 5. Joel. II. & c.* Ergo juxta morem eorundem factum est, quem cur Michæ hîc loci adhibere licitum non fuisset? Nec de more moram neçtere opus erit, quod sæpe fieri ipse autor *l. c. n. 17. p. 450.* confessus hîc nihilofecius rejicit ob defectum alicujus indicii, de quo jam addimus. (2) Nulli negamus, præsentem consolationem insertam esse sine nullâ adversativâ vel simili particulâ. Sed quid inde? Fecit enim etiam hoc Michas vel juxta vel præter morem prophetarum V. T. Non præter morem, nisi credas, evolve parallelismum exacte consentaneum *Hof. XIII, 14. 15.* Ubi geminus itidem versiculus consolatorius (ex confessione ipsius Tarnovii de Christo ageas, & quod magis est, de Christi perruptione, i. e. resurrectione mortis potestatem perrumpente) medias inter comminationes, easque gravissimas, & quod probe notandum, etiam *sine ullâ adversativâ vel simili particulâ*, eâdemque prorsus verborum constructione notanter occurrit. (3) Nulli negamus, formaliter non expressum haberi loci & temporis indicium, evolutione tamen facillimum. Quid aliud est ovile seu locus, in quem colligendus dicitur Jacob & Israel, nisi ecclesiâ à Salvatore hoc nomine expressâ: *Alias etiam, inquit, oves habeo, quæ non sunt ex hac caulâ, illas quoque oportet me adducere, & c. Job. X, 16.* Loco itaque patefacto tacite simul involvitur & indicatur tempus, sc. post dispersionem *v. 10.* commemoratam. Et indicetur, quæso, tempus in nunquam fatis deprædicando parallelismo *Hof. XIII, 14.* secundum expressam itidem literam, cui tamen nihil inde valoris decedit, quin potius post tempora N. T. vaticinium Hoseæ consummatum iri intimat Apostolus *1. Cor. XV, 55.*

SECTIO II.

De Perruptoris Nominibus.

§. I.

Nomina Perruptoris nostri examinare ordo exigit, inoffenso magis pede, postquam fundamenta hactenus pro ipsius personâ jecimus, quantâ ob rei gravitatem licuit brevitate. REX audit Christus perruptor, quod prius est nomen, quod de ipso propheta noster prædicat, de ipso, inquam, Christo, non regibus sive Israelitico Hôsêâ, sive Judæ Zedekiâ, cui scripturæ contorsioni & incongruæ subjectorum varietati in antecedentibus obviam ivimus. Et quidni Salvatorem nostrum regio dignum titulo judicares, regia cui *nomina, qualitates* regis, regiumque *officium* ex asse respondent.

§. II. *Officii*, ut ab ultimo exordiar, administrationem quis non miraretur omnibus numeris absolutam, quam Rex noster gloriosissimus in sapientissimâ cœli terræque gubernatione, ecclesiæ ab insultibus hostium defensione, atque innumerâ beneficiorum collatione, nullo non tempore majestaticè exercuit, exercet & exercebit. *Qualitates* recensere Regis nostri regiam Davidis profapiâ oriundi, herois inclyti, captum haud procul humanum excedit, exceditque præsens laboris nostri institutum, deest verborum pompa viro utut Θεοπνεύτω, Regique profundissimæ sapientiæ Davidi, quem ipsâ orationis gravitate hæc in parte balbutientem audi, ubi eum alloquitur: *Multò pulchrior effectus es filiis hominum, infusa est gratia labiis tuis; propterea benedixit Tibi Deus in seculum, Ps. XLV, 3.* Nomina si spectes, in scripturis de illo passim obvia, modo id, quod in textu occurrit, modo alia longeque celebriora adinvenies. Vocat eum propheta noster מלך יהודה regem illorum i. e. Judæ & Israelis, de quorum collectione in unum gregem brevi ante, (v. 12.) locutus fuerat. Simi'em in modum propheta Ezechiel de combinando Judæ & Israelis regno sub utriusque rege unico Christo, capite Ecclesiæ N. T. verba facit: *Et faciam eos in gentem unam in terrâ, montibus Israelis, & rex unus erit omnibus imperans, c. XXXVII, 22.* Imò eundem & Judæ & Israelis regem notatum vult Hôsêas, qui reversos ex captivitate Israelitas (unâ cum Judâ, horum enim rex fuerat) Davidem quæsituros affirmat, c. III, 5. Unde sub temporibus N. T. hæc nominis compellatio promiscuè de Judâ modò, modò de Israel sumitur, quemque *Juda* regem censebat Pilatus, re-

responso ipsius Salvatoris edoctus *Matth. XXVII, 11.* quem ludibrio affecerant milites *v. 29.* quem crucis inscriptio referebat, *v. 37.* eundem, sub nomine regis *Israelis* cruce descendere jubebat impia Scribarum, Seniorum & Sacerdotum cohors *v. 42.* Quo sensu, rex in monte Sion *Pf. II, 6.* Rex filiae Sionis & Hierosolymarum *Zach. IX, 9.* coll. *Matth. XXI, 5.* promissus legitur. Nihil etiam majestatis decedit, quod nudè Rex *Pf. XLV, 2.* & heros *v. 4.* vocetur, qualis enim ille sit, delineat gentium doctor insignis, coronatum ipsum esse gloriâ & honore, & constitutum super opera manuum Dei, *Hebr. II, 7.* Imo de perruptore hoc nostro Rege testatur Johannes, ipsum victorem hostium esse, *quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum Apoc. XVII, 14.* Habebatque in vestimento & in femore suo nomen scriptum: *Rex Regum, & Dominus Dominantium c. XIX, 16.*

§. III. Alterum, quod ipsi tribuitur, nomen est divinum & essentialle יהוה JEHOVAH. Ipsam vocis originem divinæ essentialitatis quo magis approprient, *Kametz* productum sub literâ ה præteriti, *Cholem* præsentis, *jod* denique futuri notam esse temporis, sicque quod Græcis audit τὸ ὄν *Ens, existens*, exprimi colligunt. Ipse Deus, proprium & essentialle sibi hoc esse, erga Moysen testatur, cui se manifestandum *Israëli* injunxit nomine יהוה אשר אהיה *Ero qui ero, Exod. III, 14.* De quo in *Schemorb Rabba ad l. c.* sequens legitur glossa: *אני שהייתי ואני הוא עכשיו, Ego qui fui, & Ego idem nunc, & Ego idem in futurum.* Cui similis est *Divi Johannis* gratiæ pacisque apprecatio, quam septem *Asiæ* ecclesiis solvit, *ἀπὸ τοῦ ὄντος, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ab illo, qui est, qui erat, & qui venturus est, Apoc. I, 4.* Hinc varia etiam nominis hujus elogia contexunt *Hebræi*, quo divinam majestatem majesticâ denominatione venerentur. *זכרה* memoriale s. *μνημόσυνον* appellant, eo quod memoriale sit divinæ essentialitatis atque æternitatis, cujus frequentem in *Maforâ* usum observat *Buxtorfius Lex. Talm. Rad. זכר col. 670.* Cujus rei fundamentum haud procul sunt verba ipsius Dei, qui, postquam se ipsum יהוה vocaverat, addit: *Hoc nomen meum in æternum & hoc זכרו memoriale meum in generationem & generationem. Ex. III, 15.* Præterea *שם* (בן) של ארבע *nomen (proles) quatuor literarum*, Græcis quod est τετραγράμματον, *שם* ה' ו' י' ק' ה' *Nomen appropriatum, essentialle, sanctum, pretiosum, magnum*, hinc inde in *Hebræorum* scriptis occurrit. Maxime omnium autem sanctitatem nominis prodit

cauta illisque ferme totum illicita pronuntiatio, quam litem tamen æquè ac de punctatione nostram facere non convenit in præsentiarum, discussum satis superque speciali industriâ Drusii *Obs. l. 1. c. 1.* Dav. Clerici *Quest. Sacr. qu. 11. p. 96.* Fulleri *Misc. S. l. 2. c. 6. & l. 4. c. 13.* Altingii *Diss. Acad. Hept. II. f. Philol. disp. III. p. 149.* Sennerti & M. Reichii *dispp. 1646. Witteb.* atque imprimis B. D. Joh. Ben. Carpzovii *Dispp. Theol. Dissp. VIII. p. 285. seqq.*

§. IV. Quin fugitivo saltem oculo perspicere liceat, quid de Jehovâ nostro Christo, & essentiali nomine Jehovah sive יהוה, nomine separato, explicato vulgò *Schembamporasch* dicto, Hebræis adscribi soleat sub blasphemâ fabulâ, quâ de judicat Judæus Salmanzebi in *lib. Jüdisch. Syriac. c. 1. n. 8.* אני אומר (ich sage) daß ich diesen כח (Vanitet) niemahls gehört habe / vielweniger geschrieben gesehen. Wir seyn nicht so kindisch / ein solchen כח (Poffen) zu glauben / es könnte einem nârrischer nicht träumen / daß *Jeschua Nozri* wäre in das בית המקדש (Haus des Heiligthums) geloffen / und hätte den כח (*Schembamporasch*) drein vernehet / darnach wieder heraus gegangen / die Waden auffgeschnitten / oder getrennet / den כח heraus genommen / und viel Wunder mit dem כח gethan. Quemadmodum autem inde satis apparet, facile fieri posse, ut Judæorum de fabulis solliciti fabulando eas adaugere possint; ita omnem circa hoc nomen superstitionem negare nolumus. Conf. Buxtorf. *Lex. Talm. col. 2432.* Imo, quicquid in universum de hoc ipso nomine essentiali *Jehovah* in medium proferre materiae ubertas, præsensque occasio moneret, omittimus lubentes, eoque promptiores calamum restringimus aut inhibemus, quo alacriorem eum ab aliis hâc in re adhibitum fuisse nobis constat. Sic nomen hoc Dei tetragrammaton ex professo dilucidandum sibi sumserunt præter Cappellum, Dorscheum, Drusium, Waltherum, aliosque à Lipenio *Bibl. Theol. P. II. p. 64. a. & p. 351. b.* citatos, M. Joh. Fabricius *A. 636.* Rost. M. Ge. Otto *dispp. V. A. 1685.* Marp. M. Chr. Reineccius *dispp. III. A. 1695. seq. Lips.* & M. Brand. Henr. Gebhardi *A. 1701. Gryphisvv.* Nec minus in enodatione nominis יהוה occupantur, qui generalem nominum divinorum apud Hebræos maxime expositionem aggressi sunt, Joh. Buxtorfius *Diss. Phil. Theol. Num. V. p. 247.* Joh. Henr. Hottingerus *Diss. Theol. Fasc. Num. IV. p. 249.* Aug. Pfeifferus *Fasc. Diss. Phil. Num. VIII. p. 147.* atque B. Val. Friderici *disp. de Synon. D. hebr. Lips. 1670.*

SE-

SECTIO III.

De Perruptorio Ascensu.

§. I.

Circa ascensum perruptorium, quem verbis *עלה הפרץ ascendit perruptor*, propheta exprimit, non unâ omnes incedunt viâ interpre- tres. PRIMO limbum patrum à Christo perruptum, illorumque ani- mas victorem sequendo egressas, ex mente sociorum fidei Corn. à La- pide *adb. l.* statuit, idque sensu anagogico, altero enim typico, factâ al- lusione ad captivitatem Babylonicam ipse exponit de carcere Diaboli, vi- meritoque crucis Christi perrupto. Verùm quanto propius veritati ac- cedit posterior expositio remoto maximè typo; tanto recedit longius ab illâ, quicquid de patrum liberatione in sensu anagogico comminiscitur. Interim rectè probat autor thesin suam ex sensu anagogico, quam in pro- prio & literali scriptura ignorat: Rectè urget sensum anagogicum in de- fectu alterius, quem itidem scriptura ignorat. Rectius autem & consul- tius est, quoad thesin & argumentum firmam hâc de re scripturæ ignoran- tiam sequi, quàm infirmam hominum sapientiam. Prolixius veritatem orthodoxorum defendunt, cùm qui de unico scripturæ sensu agunt, co- que literali, Gerhardus *Loc. Th. Tom. I. de Scr. S. interpr. c. VII. p. 134.* Glassius *Phil. S. l. 2. P. 2. tr. 1. & 2. Sect. 1. p. 247.* Quenstedius *Syst. Th. P. I. c. 4. S. 2. Qu. 13. p. 128* Pfeifferus *Crit. S. c. V. S. 2. Qu. 1. & 2. p. 225.* at- que Hottingerus *Thes. Phil. l. 1. c. 2. Sect. 7. p. 233.* tùm qui limbum quæ- runt patrum, nec inveniunt, Gerhardus *l. c. Tom. VIII. de Mort. §. 172. p. 192.* Quenstedius *l. c. P. IV. c. 17. S. 2. Qu. 4. p. 557.* Röberus *Disp. de Carc. Pap. subterr. c. fin. (A. 1628. Witt.)* & D. Seb. Niemannus, *disp. de dist. Pont. in Inf. Class. c. 1 §. 12. seqq.*

§. II. SECUNDO de Ecclesiâ N. T. ex Judæis æquè ac gentilibus colligendâ, post destructam, perruptore Christo, maceriem legis ceremo- nialis, Hieronymus *adb. l. Münsterus*, ejusque expilator Clarius, Rud. Gvaltherus *adb. l.* atque ex nostratibus D. Balth. Bebelius *Exam. Anon. Disq. de Stat. An. p. mort. c. 2 Fasc. Diff. Misc. (in 8. 692. Erf.) p. 236.* in- terpretantur, locis confisi parallelis *Job. X, 9. & Eph. II. 14.* atque con- textui *v. 12.* Hunc autem quo certius ipsimet agnoscimus de colligendâ ex gentibus & Israele ecclesiâ agentem, eò minus ipsis contra nos favere

posse concludimus. Cum nempe propheta in versu antecedaneo dixerit Judam & Israelem colligendum in unum ovile, quod est ecclesia, eo ipso sublationem maceriei simul asserit, quâ sine collectio fieri non potuisset, sicque posito consequente ipsum antecedens etiam inclusit, ut non opus sit v. 13. ad prius relabi. Magis vero invicem cohæret, ex nostrâ sententiâ, si v. 12. collectioni ecclesiæ in terris, v. 13. collectionem in specie fidelium ad cœtum beatorum tanquam finem prioris subjungi dicamus. Imò textus ipsis minus adhuc favet, nec Christus ascensu solo aut adventu perrupit maceriem, nec eam ipsi fideles (de his enim generaliter, non de Apostolis solis antea locutus erat) perruperunt, perruptam potius trans-euntes. Nec Christus in eo tanquam rex, si strictè examines, antecessit, quæ omnia & singula obstacula nostrâ ex parte concidunt.

§. III. TERTIO combinant terminum à quo & ad quem triumphi perruptoris Christi, simul & victoriam & resurrectionem, & quam maximè intendunt, ascensionem in cœlos visibilem complectuntur, licet alio atq; alio loquendi modo. Sunt horum ex numero summi nostræ ecclesiæ doctores Æg. Hunnius in *Anti-Par.* p. 270. Osiander in *paraphr. h. l. Joh.* Schmiddius ad *h. l. p. 818.* atque Calovius *Bibl. illustrat. h. l. p. 836. b.* ubi rem verbis B. Höpfneri ex ipsius *Com. ἀνεῳχθῆναι ad h. l.* perspicuè satis exposuit: *Christus redemptor, qui plenariâ satisfactione Deo Patri pro nobis præstitâ vim obicesq; & carceres Diaboli, mortis & peccati perrupit ac destruxit, quam perruptionem sequitur ascensio, quâ in vitam resuscitatus triumphum egit de Satanâ & hostibus suis & nostris, atque in cœlum ascendit paraturus nobis locum, juxta illud Eph. IV. captivam duxit captivitatem, & cœlos nobis clausos aperuit, atque penetravit. Ebr. IV, 14.* His pollicem premit Glassius *Onomat. Mess. Propb. Class. 4. n. 14 p. 452.* qui hostium perruptionem & opus redemptionis æquiparat, quod ut perficeret, ad nos descendit, iterumque ascendit. Optime hæc fluunt omnia, non fidei solum ex analogiâ, sed & sensu textus, hunc si virtualem spectes, non æquè si formalem. Quoad hunc enim dubium exoritur, quomodo simplex *perrumpendi* actus ad duplicem & penitus diversam hostium & cœlorum perruptionem in uno eodemque loco applicari queat, sine illatione sensûs duplicis in unam vocem. Hinc si τὸ ὕψος *perfregit* alterutram exprimat, referri debet aut ad hostes ipsos, aut ad cœlum. Si ad cœlum, formalis sensus erit: *Christus cœlos perrumpendo ascendit*, ubi nihil de victoriâ, nihil de resurrectione. Si ad hostes, prædicabitur de Christo: *Hostium perrup-*

ptor

prior ascendit in caelos, ubi deest ipse resurgendi actus. Si ad caelum & hostes simul, fuit sensus: *Hostium atque caelorum perruptor ascendit*, ubi itidem resurgendi actus deficit.

§. IV. Unde QUARTO formalem ascensus perruptorii significatum quoad mortem B. Gerhardus *Loc. Th. Tom. VIII. de Res. Mort. §. 19. p. 1022.* constituit hunc: *Christus resurrexit, & è sepulchro ascendit, ut perruptor, quem alii sunt secuti.* Hujus vestigiis insistendo sensum verborum, *אָפּרָפּ עָלָה ascendit perruptor*, formalem paulo pleniorē exprimimus: *Christus peccati, mortis hostiumque infernalium perruptor, victoriam suam manifestaturus resurrectione ascendit.* Probationis loco notamus, (1) Verbum *אָפּרָפּ perrupit*, æque nobis favet, sive de murorum perruptione, quam adversantes volunt, sive de personarum in genere aut in specie hostium perruptione accipiatur. A murorum perruptione concludimus ad perruptionem sepulchri in resurrectione factam; à perruptione hominum & in specie hostium ad perruptionem hostium omnium, quos Christus à mortuis resurgens perrupit atque debellavit. Occurrit verò verbum hoc generatim de *personis*, rupturam faciente Domino inter tribus Israelis *Jud. XXI, 15.* in percussione Uliæ *2. Sam. VI, 8. 2. Par. XIII, 11. XV, 13.* de Operibus Josaphati dirumpendis *2. Par. XX, 37.* speciatim de *hostibus* Philistæis à Domino manu Davidis perruptis atque devictis *2. Sam. V, 20.* Nonne itaque Idem Christus, qui sepulchrum perrupit, perrupit hostes totius humani generis imò etiam opera Diaboli, ad quorum destructionem Johannes eum in mundum venisse testatur, *1. Job. III, 8.* (2) Verbum *אָפּרָפּ ascendit* generale, ad *resurgendi* actum optime quadrat tanquam ad terminum à quo. Videmus id ipsum in oppositione verbi *אָפּרָפּ descendit*, quod vice versa de termino ad quem sive descensu in sepulchrum Jacobi sumitur *Gen. XXXVII, 35.* Similiter Christus, qui *descenderat* in sepulchrum & infernum, ut hostes vinceret, his devictis in resurrectione rursus *ascendit.* (3) Phrasis tota, *perruptor ascendit*, optime quadrat ad gloriosam Christi resurrectionem, hujusque actum modificatum exprimit. (4) Textus *συνάφεια* ex alle respondet. Nam sicut Christus *perruptor ascendit*, i. e. hostibus devictis resurrexit; ita etiam fideles *perrumpendo exeunt*, i. e. hostibus superatis resurgunt, licet modus perruptionis Christi & Christianorum differat.

§. V. Prærogativa sequitur Christi perruptoris præ fidelium perruptione,

ptione, certa adeo atque legitima, ut de ea certare nemo mortalium audeat. Sic verò de illâ loquitur Propheta: **יעבר לפנייהם** *ante eos*: **ועבר לפנייהם** *transiit coram illis*: denique **בראשם** *in principio ipsorum*. Nulla hîc vœcum ambiguitas, nulla phrasium obscuritas moram nectit, ipseque sensus hæctenus dictis innititur. Dicitur ascensurus *ante eos*, quod primus sit resurgentium, autor vitæ, quam mortis perrumpendo vincula restituit, ut fidelibus pateret transitus ad perennem vitæ gloriam. Adhæc, *transibit coram iis*, quos nempe propheta prius dixerat transituros per portam, ut indicaret, ipsis fidelibus tanquam subditis Regis hujus gloriosi competere quidem subire mortem, simul tamen & egredi aut resurgere, in hoc quoque vestigia prementes Ducis sui, qui dux vitæ & autor vitam deposuit, pro ipsis mortem ingressus, & triduo post gloriose iterum egressus est. Eodemque respicit etiam phrasis ultima, qua dicitur: Jehova erit *in principio ipsorum*. Etsi sit caput ecclesiæ Christus, ut ab ipso omnis membrorum vigor unice dependeat, hîc tamen consideratur in specie ut caput resurgentium, coram quibus transiturus dicitur in ipso textu, ut præter prærogativam triplici phrasi expressam, virtus simul vivifica ipsius innotescat. Quæ omnia pereleganter summam eloquitur Mislenta l. c. p. 552. *Ascendet, inquit, ille Poretz ante faciem vel coram facie fidelium ceu Dux exercitûs, cœtûsque sui, quem proprio sanguine redemit Act. XX, 28. ab hostibus liberavit, asseruit, & ex toto mundo in unum ovile collegit v. 12. & ita ascendet, ut sit primas & caput suorum fidelium in hoc ascensionis actu; quo innuitur beneficium & vis meriti Christi, ac fructus ex passione, morte & resurrectione ad fideles redundans; cujus vigore ipsi ex mortuis reviviscent, sepulchra occlusa perrumpent, & tandem sursum in cælum ascendent.*

SECTIO IV.

De Perruptione Fidelium.

§. I.

Fidelium perruptionem ceu fructum propheta noster generatim exprimit hoc modo **ועברו שער ויצאו בו** *perrumpent & transibunt portam & egredientur per eam*. Quos ipse intelligat perruptores, satis constare potest ex collatione antecedanei versiculi, ubi de collectione Judæ & Israël in unum ovile, Christi ecclesiam, locutus erat.

Unum

Unum constituebat olim & Juda & Israel populum, quem sibi Deus elegerat peculium *Exod. XIX, 5. 6.* cujus curam demandaverat Mofi & Josuæ, præfecerat illis judices æque ac reges, donec mortuo Salomone decem tribus Rehabeamo adhærentes à domo Davidis deficerent, regnumque firmarent Israeliticum à Judaico ad tempus distinctum. Sub Judæ autem ex captivitate Babylonica reditu rediit combinatio nominum Judæ & Israelis, ut etiam uno nomine Israelis exprimantur, quia multi Israelitarum ex decem tribubus Judæ redeunti intermixti essent *Esr. VI, 16. 21. VII, 10. 11 &c.* Hinc ob intimam tantum non omni tempore Judæ & Israelis conjunctionem tota Vet. Instrumenti ecclesia in Scripturâ S. modo sub Israelis, modò Judæ, modo Israelis & Judæ, modò Jacobi nomine adducitur, & pro re natâ comminationem aut consolationem accipit. Maxime verò prophetæ amant de statu ecclesiæ N. T. adhibere & Judæ & Israelis nomina, quibus unitatem membrorum sub uno capite Christo designasse videntur; conf. *Jer. XXIII, 6.*

§. II. Numquid igitur omnes, quos propheta colligendos in unum ovile dixerat, perrumpent post Christum perruptorem? Sive ut rem nude proponamus: Num omnia ecclesiæ visibilis membra, quotquot unquam collecta fuerunt, mortem perrumpendo resurgent? Affirmamus meritò, si de subjecto resurrectionis absolutè tali sermo sit, quia omnes omninò mortales id ipsum constituunt. Sed si quæras, de quibus Michas loquatur resurrecturis, de omnibus, an solis fidelibus? Negamus utique impiis competere descriptionem textûs, quod Christus eos in resurrectione præcesserit, ut Rex & Jehova. Nam quomodò infideles s. impii ducem sequerentur in resurrectione, quem in vitâ sequi repudiarunt? Quomodo membra essent in resurrectione capitis, quod pro suo agnoscere detrectarunt? Hinc soli pii sive fideles Christum perruptorem perrumpendo sequuntur ducem, manetque impiis ex alio fonte firma & indubitata resurrectio. Non obstat universale nomen Judæ & Israelis *v. 12.* quia ibi de membris ecclesiæ militantis, hîc olim triumphantis sermo est, magnaque intercedit differentia inter Dei *vocationem absolutam*, quâ omnes ad gremium Ecclesiæ invitât, & *prædestinationem conditionatam*, quâ sub conditione fidei hæreditatem æternæ beatitudinis promittit. Errores illorum, quos in determinando Perruptore duce deprehendimus, repetere non opus est.

§. III. Quæ fidelium sit perruptio, obscurum esse non poterit, postquam Christi Ducis perruptionem, optimum exemplar, fontemque unicum exposuimus, unam enim qui novit, novit & alteram, nec alios aggreditur hostes Dux, alios miles. Perrupit Dux Christus peccati, mortis, infernique potentiam victor, nec aliam perrumpunt victores fideles, hoc saltem discrimine, quod propriâ virtute præverit Dux Christus, alienâ, eâque Ducis Christi virtute perrumpentes sequantur milites fideles. Excipit B. Tarnovius *Ex. Bibl. p. 449. fin.* *Pii portam cælorum non vi perrumpunt, sed fide humili intrant, & arctè tenent, Matth. XI, 12. Luc. XVI, 16. Βιάζονται, ἀσπάζονται.* Enim verò falso nititur præsupposito, quod à perruptione murorum analogia sit deducenda ad portam cœli; ut igitur non cœli, sed hostium perruptionem nos amplectimur, ita vim objectionis nos minime stringere satis apparet. Nam ex nostrâ hypothese pii dicuntur, fide in Christum victorem, hostes suos perrumpere, sicque regnum cœlorum non *perrumpere*, sed *ingredi*. Imo, quæ ratio dubitandi, an perruptione, fidelium victoriam intendat propheta, quam ipsi fortiter & constanter pugnando assequuntur? Sanè Apostolica hæc est doctrina, quâ vita fidelium militiæ comparatur perpetuæ. Sic eam describit Paulus ad *Eph. VI.* ubi commentarius nostri oraculi exhibetur, & quid agendum sit homini fideli ceu militi, antequam perrumpere valeat. Bellum quasi indicit Apostolus fidelibus in hac vitâ præsentissimum *v. 11.* Hostem describit infensissimum, *v. 12.* (conf. *1. Petr. II, 11.*) Arma specificat, applicat, monetque ipsos incedere lumbis circumcinctos veritate & indutos thorace justitiæ *v. 14.* calceatos pedibus *v. 15.* cum scuto fidei *v. 16.* cum galeâ salutis & gladio Spiritûs *v. 17.* securitatem prohibet, nec pacem in ecclesia militante fore hortatur, sed necessario debere cum omni perseverantiâ excubare *v. 18.* conf. *2. Tim. IV, 5. 1. Petr. V, 8.* Sed belli hujus fidelium quis exitus & quando futurus est? Propheta ait: *Perrumpent*, quod de mortis tempore explicat Apostolus: *Certamen illud præclarum decertavi, cursum peregi, fidem servavi. Quod reliquum est, reposita est mihi justitiæ corona &c. 2. Tim. IV, 7. 8. coll. Jac. I, 12. 1. Cor. IX, 25. Apoc. II, 10.*

§. IV. Tempus itaque (in quo una fructuum resurrectionis Christi species, resurrectio nempe fidelium, involvitur) superest nosse, quo fideles victoriam reportaturi sint, sive perrupturi, in verbis prophetæ ultimis: *& transibunt portam & egredientur per eam.* Qui Christum ipsam per
por-

portam indicari volunt occasione *Job. X, 9.* nituntur hypothefi, quam supra (*Sect. III. §. 2.*) discussam repetere, crambemque proponere bis coctam nolumus. Qui de cœli portâ exponunt, præsupponunt, Christi ascensum in cœlos formaliter in textu contineri, huicque accommodant ingressum fidelium in cœlos; cum vero prius negaverimus (*Sect. III. §. 3.*) negamus & posterius his verbis formaliter dici fideles cœli portas transiuros. Imò hîc locum haberet B. Tarnovii (*l. c. p. 450.*) objectio, quod pii portam cœlorum ingressi non dici iterum possint egressuri, cum expresse textus addat: *וַיֵּצְאוּ & egredientur.* Videant igitur, quomodo se extricent huic sententiæ addicti, nos potius formalem textûs sensum sequentes mentem esse prophetæ statuimus: Fideles hostes suos unâ omnes superabunt aut perrumpent, cum mortem ceu portam ingredientur & egredientur per resurrectionem.

§. V. Rationes nostræ expositionis sunt sequentes: (1) Respondet illa phraseologia, in quâ verbum *עָבַר* transit per ingredi exponimus, sive, quod ex genio linguæ sanctæ verba actum completum significantia accipiantur quandoque inchoative, ut ex *1. Reg. VI, 1.* aliisque locis demonstrat Glassius *Phil. S. l. 3. tr. 3. can. 3. p. 546. seqq.* sive, quod proximè adjunctum verbum *וַיֵּצְאוּ* egredientur, ob evitandam tautologiam, hunc ipsi significatum vindicet, maximè cum æquè ac *כִּי־יָבִי* ingredi sine *בְּ* præfixo nomini *וַיֵּצְאוּ* portam construatur. Paucis: Verbum *עָבַר* transit sine omnibus his indiciis, quæ pro nobis allegavimus, absolute positum ingrediendi significatum obtinet *Jud. IX, 26.* ubi de Gahal & fratribus ejus affirmatur: *Venerunt וַיַּעְבְּרוּ & ingressi sunt in Sichem;* quos transiisse, ut vox in textu occurrens innuit, nullo modo contextus patitur. Commodius etiam, si velis, præfixum *Vav* in *וַיַּעְבְּרוּ* aliis copulativum adverbialiter cum reddi poterit ad denotandam magis temporis circumstantiam. Vid. Noldius *Conc. Part. Hebr. lit. 7. n. 58. p. 299.* (2) Respondet contextui: Christum dixerat propheta hostes perrupturum atque victurum in ascensione sive resurrectione. Idem quoque de fidelibus valet, eos omnes afflictiones, tentationes carnis, mundi atque Diaboli, & quicquid miseriarum humanarum est, perrupturos fore & superaturos itidem in resurrectione, sive, cum portam mortis ingredientur, & tempore resurrectionis egredientur. (3) Respondet analogiæ fidei; Non enim in resurrectione demum victoria piorum de hostibus terrenis initium capiet, sed in morte ipsorum, cum anima in cœlo trium-

phans formali beatitudine jamjam fruitur, donec ultimo hostium superato, qui mors est, & cui interim corpus, licet quietis compos, subest, in ipsâ resurrectione victoriæ consummatio continget. *Hinc quisquis crediderit* (verba sunt antiquitatum collectoris eximii Joach. Hildebrandi *de Arte bene mor. c. 4. §. 13. p. 52.*) & baptizatus fuerit, ejus mors non mors est, sed quoad animam transitus ad vitam meliorem, quoad corpus, placidissimus somnus, è quo in die illo decretorio sumus resuscitandi, dicente Christo: Si quis sermonem &c. *Job. VIII, 51.* (4) Respondet hujus non solum hemistichii sed totius versiculi hucusque allata expositio de fructiferâ Perruptoris resurrectione, rigidissimæ interpretum cynosuræ, nimirum divinæ, cui talis videtur, accentuationi, ut eo magis de benevolo lectoris judicio integra nobis spes maneat.

PARTIS POSTERIORIS THETICO - POLEMICÆ

PORISMA I.

*Christus est verus, idemque promissus
Messias.*

§. I.

EXhibet L. B. pars dissertationis nostræ posterior porismaticam textûs nostri applicationem ad ea sanioris doctrinæ capita, quæ ex formali oraculi nostri sensu probationem legitimam atque proximam consequuntur. Imò hæc ipsa, ut methodo, quâ fieri potest, concinnâ proponamus, nostrum erit statum quæstionis formare, formatum argumentis potioribus confirmare, confirmatum illustrare. Duo potissimum sunt Judæorum cœcitati opponenda. Prius est: Messiam promissum dudum venisse; Posterius: Eundem Messiam, qui dudum venit, fuisse Jesum Nazarenum. Interim evitanda prolixitas à posterioris demonstratione ad prius concludere argumentis aliquot, nos adhortatur.

§. II. *Status* Judæ & Israelis tam *politicus* quam *ecclesiasticus*, quem prophetæ tempore adventûs Messiaë futurum prædixere, nativitati Perruptoris Christi exactè respondet. Michas dicebat, quod fidelium resurrectionem antecessura sit collectio Judæ & Israelis in unum ovile *p. 12.* Hæc fu-

futura erat post liberationem à perditione abominabili & reditum ex captivitate v. 10. Hoc igitur tempore desiit regnum Davidis, & impletum fuit vaticinium moribundi patriarchæ Jacobi de ablatione sceptri Judæ ante adventum Schiloh, *Gen. XLIX, 10.* Vid. Galatinus *Arcan. Cathol. Verit. l. 4. c. 4-8. p. 194.* Nec indiget insigne hoc de Schiloh oraculum nostris vindiciis, cum eas peculiari Dissert. labore longè plurimi, & ex illis quidem, qui ad manus sunt, Ge. Er. Phaetianus (f. Günth. Heinr. Platnerus, Consil. Saxo-Vinar.) Wilhelm. Lyserus, Waltherus, Sennertus, Helvicus, Molitor, Casp. à Lilien, Reinboth, Wagenfeilius, Ludolphus, Vandalus, Pfeifferus, Edzardus & ante triennium Rodolphus Prof. Bernensis susceperint. Ecclesiasticus itidem status adventui Christi non minus patrocinator, cum stante adhuc templo secundo *Hag. II, 7. 8.* Messiaë adventus fieri debuerit; illo igitur destructo, hunc factum esse rectè concludit Galatinus *l. c. c. 9-12. p. 209. seqq.*

§. III. *Tempus* adventus Messiaë nativitati Christi respondere, insignis præ cæteris locus est *Danielis*, de septuaginta hebdomadibus destinatis ad unguendum sanctum sanctorum *c. IX, 24.* *Hebdomades* propheta intelligit non *dierum*, quæ nimis angustæ; non *jubileorum*, ut volunt quidam Judæorum ex collatione *Lev. XXV, 8.* quæ nimium vice versâ dilata eventum omnium in textu rerum illuderent, neque *שבעים* *parum* temporis *Hag. II, 7.* consonarent; sed *annorum* & quidem solarium, quorum in computatione licet terminum à quo non unum omnes agnoscant, in eo tamen conveniunt, quod spatium illud 70. hebdomadam diu jamjam, nato nimirum Salvatore, præterfluxerit. Imo R. Abarbenel *ad b. l.* Messiam pro unguendo illo sancto sanctorum habendum esse, veritate convictus largitur: או פירוט ורמסור קרש קרשים על מסים דקטו ולפי שישראל בכלל נקראו קדשים קרשים רג' לכן נקרא המסים קדשים קדשים *Aut est, inquit, explicatio verborum ad unguendum sanctum sanctorum, de Messiaë justitiâ nostrâ. (Jer. XXIII, 6.) Et quia Israelita in genere vocantur Sancti, &c. (Lev. XIX, 2.) idcirco Messias dicitur sanctus sanctorum, quia sanctus est præ omni Israel.* Plura de hâc temporis harmoniâ Danieliticâ suppeditant Galatinus *l. c. l. 4. c. 14-18. p. 223.* Dietericus *Antiq. Bibl. V. T. p. 718.* Pfeifferus *Dub. Vex. Cent. IV. Loc. 70. p. 808.* & Diss. peculiare ad h. l. Dorschei *Arg. 1651. Helvici Bibl. Crit. T. VI. col. 498.* Strauchii *Witt. 1660.* D. Jo. Fr. Mayeri *ibid. 1685.* Joh. Vorstii *Exerc. Acad. Exerc. V. p. 123. seqq.* Imprimis au-

tem hebdomadam harum rationem habuit insignis oraculorum V. T. de
Messiâ vindex Joh. Frischmuth *Diss. III. ad c. b.* quarum I. *Messiam pridem
secundum computum Danielis v. 24. apparuisse evincit A. 1670.* II. *de
LXX. hebdom. earumque divisione ex v. 25. A. 71.* III. *de Messia excisione
& Hieros. desolatione ex v. 26. 27. A. 72. Jenæ.*

§. IV. *Loco natus est Christus, quem Messiaë nativitati destinarunt
prophetæ, imprimis Michas c. V, 1. 2. coll. Matth. II, 6. nempe in urbe
Bethlehem nequaquam minimâ in principibus Judæ. Torquet se impia
cohors in pervertendo oraculi sensu, quem talem constituunt: Tu Beth-
lehem, licet parva sis in millibus Juda, tamen patria es Davidis, cujus è
femine Messias, futurus dominator in Israel, ortum trahet. Sed nulla
in textu Davidis, nulla familiae ejus fit mentio, sed solius Messiaë, cujus
natalem locum Herodi sine hæsitantiâ indicabant. Conf. Joh. Frisch-
muthi *Diss. de Nativ. Mess. ad Mich. l. c. A. 1661. Et de Harmon. Michæ l. c.
& Matth. l. c. A. 62. Jen.* Testimonia ex ipsorum scriptis de Messiaë ad-
ventûs tempore præterlapso coronidis loco superaddere omittimus, cum
eorum plurima collegerint D. Helvicus *Diss. Giess. Tom. IV. disp. IV. p. 81.
seq.* atque Galatinus *l. c. c. 13. p. 222. seqq.**

PORISMA II.

Christus Messias est Θεὸν ἴσων.

§. I.

CONSTANS licet ecclesiæ orthodoxæ fuerit doctrina, Christum DEUM
esse VERUM, Deoque Patri ὁμοούσιον s. coëssentialem, non defuere
tamen omni ævo, qui divinam ipsius majestatem labefactare conati sunt.
Tres horum classes constituit B. Chemnitius *Loc. Theol. Loc. de Fil. D. p.
52. seq.* eumque secutus B. Gerh. in *Exeges. Loc. IV. de Persona Christi §.
66. p. 1190. seq.* In primâ sunt ἀνωψάται, negantes ipsius hypostasin
propriam, antequam ex Maria natus esset, ut Ebion, Cerinthus, Paulus Sa-
mosatenus & Photinus, quorum hodie vestigia legunt Muhammedani
& Sociniani. In secundâ sunt ἑτερόσιτοι, admittentes in Christo natu-
ram humanâ sublimiorem, miñimè vero Patri consubstantialem. Pro-
machum habuerunt omnium acerrimum, Arium, hæresiarcham seculi
quarti non ignobilem. *Tertiam* denique classem constituunt ἀνόμοιοι, sub-

substantiam in Christo æqualem Patri, non potentiam concedentes, quo in errore Aëtium ejusque discipulum Eunomium fuisse legimus.

§. II. Qui Christum *VERUM HOMINEM* fuisse negant, à B. Gerharo *l. c. §. 84.* ad geminam classem referuntur. Juxta ipsum enim Christi humanitatem quidam directe, quidam obliquè labefactant; *directè* illam negantes, sunt vel *Φανταστικοὶ καὶ δοκῆται*, qui docuerunt Filium Dei *Φάντασμα* carnis & nudâ specie talem assumisse: quales juxta ipsum fuerunt Saturninus, Basilides, Leucippus & Milesius, Cerdoniani, Marcionitæ, Manichæi: quibus addi possunt Gnostici. Vide Epiphanium *heres. 26. p. m. 91.* Vel *ἐτεροδοξοί*, qui Christi carnem nostræ consubstantialem esse inficiantur, inque duos ordines iterum abeunt; quidam enim docuerunt, Christum nullo unquam tempore habuisse carnem nobis consubstantialem: ut Valentiniani, Apellitæ, Eutyches, Anabaptistæ, Swenckfeldius, Thammerus, Methistæ, Flaciani; nonnulli autem somniarunt, Christum primo quidem habuisse carnem nobis consubstantialem, sed postea in unione vel glorificatione eam in divinam naturam commutatam fuisse: ad quem ordinem rursus refert B. Theologus Eutychem, ut sibi minimè constantem, nec non Swenckfeldium: *Obliquè* humanam Christi naturam labefactantes ipsi audiunt, qui humanam in Christo naturam propter personalem cum *Λόγω* unionem nullis passionibus obnoxiam asserunt, atque alias quasdam falsas hypothesès fovent. Magni itidem nominis Theologus B. J. B. Carpzovius, Senior, *in dispp. Isagogicarum Loc. 4. c. 3. memb. 2. p. 299. seqq.* ad quinque ordines veram Christi humanitatem impugnantes revocat, & nonnullos à B. Gerharo omissos adducit, quem evolvisse non pœnitebit!

§. III. His obviam ire omnibus, Christumque *VERUM & DEUM & HOMINEM* esse, docet propheta noster Michas, dum Regis & Jehovæ nomen ipsi tribuit; quorum hoc Christi divinitatem, illud humanitatem certò affirmare, sacrarum rerum studiosos observare jubet B. Lutherus *ad b. l.* Nec immerito, cum de Evangelistâ aut Apostolo N. T. accuratiorem personæ Christi inque eâ naturarum delineationem expectare non liceat. Thesis in toto textu complectitur consolationis plenissimam: Christus resurrectione suâ fidelibus resurrectionem acquisivit. Hanc ut legitime probaret aut illustraret, exprimit *humanam* naturam, eamque *veram* esse declarat nomine Regis, q. d. Christus à primo unionis & unctionis momento Rex factus, natus, passus est, resurrexit, ascendit con-

se-

sedens ad dexteram Patris, quæ omnia non divinam sed humanam, quæ harum rerum sola capax est, naturam declarant. *Divinam* exprimit naturam nomine Jehovæ, qui cum sit in capite s. principio resurgentium, eo ipso resurrectionem suam salutiferam fidelibus fore pronunciat, sicque verè Θεάνθρωπος Christus perruptor in textu delineatur.

§. IV. Christum VERUM DEUM in præsentiarum, datâ occasione à propheta nostro; unice probamus ab appellatione JEHOVÆ. satis emphaticâ. Involvere hanc vocem veram Dei essentiam, pars exegetica certiores nos reddidit, ut inde & Christus pro vero habendus sit Deo, cui & nomen & res nomine expressa convenit. Sanè æternus & unigenitus Dei filius sub specie angeli in V. T. sese manifestavit apparendo Hagari *Gen. XVIII, 12.* Abrahamo *c. XIX, 24, &c.* & sub appellatione Jehovæ pro essentiali veroque Deo agnitus & exceptus est. Similiter Jeremiæ dicitur *JEHOVA justitia nostræ c. XXIII, 6.* Conf. Calovii *disp. de Nom. משיח Messie appropri. ex l. c. A. 1667.* ubi & frivolas exceptiones solvi deprehendes, quibus nomen illud de creaturis usurpari contendunt, confundentes statum nominis constructum atque absolutum. Essentiali huic nomini jungimus aliquod personale non minus veræ divinitatis argumentum, ubi λογος audit ὑποστατικὸς *Joh. I, 1. &c.* ex quâ Johannis cognominatione Deitatem Salvatoris nostri peculiari diff. D. Joh. Saubertus solidissime defendit.

§. V. Argumenta divinitatis Christi præter nomina hæc, longè plurima alia à proprietatibus divinis & attributis, divinis operibus, cultuque divino desumta urgere in præsentiarum superfedemus, præsertim cum hanc fundamentalem fidei doctrinam à majoribus nostris *Aug. Conf. Art. III. fol. 10.* propositam constanti animo defenderint omni ævo nostrates theologi, Gerhardus *Loc. Th. T. I. Part. 4. c. 4-7 p. 393. & Exeges. Loc. IV. c. 5. §. 42. p. 1154. seqq.* D. Scherz. in *Collegio Anti-Socin. a Disp. 15.* usque *ad Disp. 21.* aliique innumeri systematici scriptores ac Socinianorum strenui oppugnatores. Quibus præter æternum nostræ academiæ decus *ἡν ἐν ἀγίοις* D. Joh. Ben. Carpzovium *Dispp. Th. Num. XXVIII. p. 1373.* adde insignem Witteberg. Theologorum trigam Frid. Balduinum (*A. 1613.*) Jac. Martini (*Diff. VIII. A. 46.*) & Joh. Meisnerum (pro Lic. præside D. Scharffio *A. 49.*) in *Diff. suis de Christi Deitate*, quam ex V. æque ac N. T. demonstrarunt. Publicum ediderunt patres consensum nontantum in Concilio Niceno, cujus Symbolum Christum credit esse

Deum

Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, &c. sed & temporibus ante illud, quorum testimonia collegit B. Gerhardus *cit. Tom. I. §. 152. p. 517.* Quibus addimus aliquod Hebræorum notatu dignissimum, quod ex libro *Ikkarim Orat. II. c. 28.* adducit Buxtorfius *Lex. Min. Hebr. rad. p. 166.* hujus tenoris *וְיָקָרָא הַכְּתוּב שֶׁם הַמָּשִׁיחַ יְהוּדָה צְדִיקְנוּ לְהוֹתוֹ אֲמוּנָנוּ אֵל שְׂנֵיג הַדָּק מִהֶסֶם עַל יָדוֹ וְעַל כֵּן יִקְרָאוּ נֶשֶׁם הַשֵּׁם *Vocat Scriptura nomen Messiae Dominus justitia nostra (Jer. XXIII, 6.) quia erit mediator DEUS, per cujus manum consecuturi sumus justitiam à Deo ipso & idcirco vocat eum nomine יְהוּדָה.**

§. VI. Christum quoque VERUM HOMINEM asserimus ductu prophetæ nostri, quod eum in textu appellaverit *Regem.* Nam uti resurrectio ab ante involvit passionem & mortem, ita post eam evenit ascensio & sessio ad dextram Dei Patris. Quæ plenaria regni administratio Regem esse Christum satis declarat, & ad illam evectio humanitatem loquitur, cum divinitatis non sit augeri aut immutari. Imò si Regem hunc nostrum auderes negare hominem esse verum, aspice eum post resurrectionem medios inter discipulos stantem verum hominem, non spiritum, ut ipsi censebant, qui carnis & ossium naturam, esuque piscium fidem de humanitate suâ confirmat *Luc. XXIV, 39.* Quam glorificato in corpore post resurrectionem qui retinuit, quidni habuisset in vitâ hâc fragili? Quod optime exprimunt nostrates Theologi: *Esse corpoream creaturam, carnem & sanguinem, finitum, circumscriptum esse, pati, mori, ascendere, descendere, de loco in locum moveri, esurire, sitire, algere, æstu affligi, & si quæ sunt similia; esse proprietates humanæ nature statuimus, quæ nunquam proprietates divine nature fiant. Form. Conc. p. 763.* Sic una in Christo & vera divinitas, una & vera humanitas distinctæ, intime tamen unitæ, unum quoad personam verumque constituunt *Θεὸν ἄνθρωπον.*

PORISMA III.

Christus Θεὸν ἄνθρωπον & virtute propriâ seipsum excitavit à mortuis.

E

§. I.

§. I.

PRæmittenda hîc foret indubitata resurrectionis Christi demonstratio, nisi eam totus, quem dilucidavimus, textus satis evinceret, nec minus præsens porisma, ut nemo amplius de certitudine resurrectionis Christi dubitare ansam habeat, qui de virtute ipsius vivificæ certior factus fuerit. Interim ad confirmandam infirmorum fidem & oppugnantium, gentilium maxime & Judæorum, convictionem præ cæteris perspicuâ, ut solet, methodo Christi resurrectionem probat B. Gerhardus *Disp. de Resurr. Chr. (Fasc. Dispp. Tb. p. 1399.) §. 10 seqq.* Ubi ad quinque classes argumentorum segetem reducit; quarum prima exponit vaticinia ex Mose, Psalmis atque Prophetis collecta, secunda enumerat testimonia angelorum, tertia sanctorum hominum, quarta hostium, quinta denique ipsius resurrectoris Christi. Sed nos videamus de causâ efficiente illius, & quâ virtute evenerit.

§. II. Cum igitur resurrectionem Salvatoris nostri opus esse ponamus *ἡ θεοῦ ἰσχύς*, convenit thesin in geminum resolvere *ἑστῆς*: An Christus secundum *divinam* naturam virtute vivificandi sibi, ut Deo, essentiali seipsum juxta carnem in mortem traditum resuscitaverit? Porro: An Christus etiam secundum *humanam* naturam virtute vivificandi per unionem ipsi communicatâ seipsum vivis restituerit? Prius, aut si mavis, *utrumque* maxime negat Socinianorum Schola, ut ipsi Socino *Disp. de Unigen. Fil. D. Epist. fol. 117.* resuscitatio hæc *ex ratione religionis nullo pacto constans planè ridicula atque absurda adeoque impossibilis* dicatur, eamque *Catechesis Racov. p. 313.* palàm appellet *insignem errorem*. Posterius impugnant impugnatore veræ atque realis communicationis idiomatum. Quorum clarum interpretem agit Zach. Ursinus *Instit. Catech. Loc. de Resurr. Chr. p. 319.* ubi ait: *Christus resurrexit suâ propriâ vi atque potentiâ, non quidem carnis, sed Deitatis suæ.*

§. III. Utrumque verò, Christum nempe non solum *essentiali* secundum *divinam*, sed & *communicatâ* secundum *humanam*, naturam virtute vivificæ se ipsum excitasse à mortuis, constans ecclesiæ orthodoxæ doctrina affirmat, meritoque defendit. *Quod igitur Christus virtutem vivificandi secundum humanitatem suam acceperit, & quod illa vis assumpta humana natura in Christo data atque communi-*

cata sit, id ex analogiâ verbi Dei credere tenemur. Verba sunt *Form. Conc. p. 776.* additur porrò *p. 777: Virtus vivificandi non eo modo est in carne Christi, quo est in divinâ ejus naturâ; videlicet ut essentialis proprietas.* Probationem, quam nobis Michas in textu suppeditat, gemino includimus argumento. Prius est: Secundum quam naturam Christus Rex & Jehova dicitur, secundum illam vis & potestas vivificandi ipsi competit. Jam verò secundum utramque naturam, divinam Jehovæ, humanam Regis nomen Christo tribuitur. Ergo. Regis nomen humanæ applicantes naturæ, nullatenus regiam potestatem ipsi, ut Deo, denegamus, nec ab unius positione ad alterius negationem concludi potest. Posterius est: Christus perruptor ascendit, i. e. victor hostium resurrexit, aut secundum solam divinam naturam, aut solam humanam. Non secundum solam humanam, aliàs invalida esset ipsius resurrectio, totumque redemptionis opus *Pf. XLIX, 10. 11.* Neque secundum solam divinam, quæ passionis & mortis capax non est, sine hâc autem neque perruptio, neque resurrectio fieri potuit. Ergò Christus vere *Θεὸν ἑαυτὸν* se ipsum excitavit à mortuis virtute vivificandi partim essentiali ut Deus, partim communicatâ ut homo. Ad utriusque argumenti autem valorem benè nota activam perrumpendi atque ascendendi significationem, à quâ recedere non convenit, si subjecti capacitas, qualis *ἡ Θεοῦ* est, eandem admittat.

§. IV. Nec opus erit theseos hujus probationi diutius immorari, nisi velimus veræ Deitatis Christi & realis idiomatum communicationis vindicias contexere, ex hâc enim humanæ, ex illâ divinæ naturarum virtus vivificatrix tanquam ex fonte derivatur. Ut verò de divinitate Christi superius (*Porism. II. §. 4. & 5.*) actum est à nobis, ita de Communicatione idiomatum addere multa non opus est, præsertim cum eam probatam suppeditent tantum non ubiq; in scriptis suis Theologi, atque ex instituto de illâ in Tractatibus ac Dissertationibus egerint B. Schröderus *Svvinfurti 1608. in 8. & Giessæ 1616. in 8.* Jacob. Martini *Witteb. in 8.* B. Affelmannus *A. 1617. Rost.* Joh. Waltherus *pro Lic. A. 59. Lips.* D. Joh. Scherzerus *A. 71.* atque D. Jac. Andrææ *A. 82. Tub.* Impri-
mis huc spectat communicationis idiomatum genus secundum, quo divinæ naturæ axiomata humanæ vi unionis hypostaticæ communicantur, *ut in Christo Jesu habitet omnis plenitudo Deitatis σωματικῶς,*

corporaliter Col. II, 9. Unde Christus hanc virtutem vivificandi sibi tribuit plenariam: *EGO depono animam meam, ut eam rursus assumam. Nemo tollit eam, à me, sed EGO depono eam per me ipsum; auctoritatem habeo deponendi eam & auctoritatem habeo rursus eam assumendi Job. X, 17. 18. conf. c. V, 26.* Eleganter de virtute hâc quoad utramque naturam loquitur Cyrillus *l. 2. in Job. c. 140.* *In quantum quidem Verbum Dei & Deus est, habet hanc potestatem naturaliter, in quantum autem homo factus est, accepisse se hanc potestatem, aperte profitetur.* Nam Christus ut Deus dat omnia, homo accipit omnia; ita quæ Christo data dicuntur in Scripturis, data sunt illi non ut Deo, qui omnia possidet, sed ut homini. Objectionum palmaria est ex locis desumpta Scripturæ, in quibus Patri resuscitatio filii adscribitur, sed levidensis merito, cum subordinata à contrariis maxime differant, ipsaque essentialis toti SS. Trinitati communis virtus, (quâ resuscitatus à Patre utique dici potest,) per unionis personalis gratiam humanæ naturæ competat, secundum utramque seipsum resuscitasse dicendus erit. Conf. B. Gerhardus *Loc. Th. Tom. VIII. de Res. Mort. §. 49. p. 1103. seqq.*

PORISMA IV.

Christus Ἰεσὺς Ἰσραὴλ & post ζωοποίησιν reverà descendit ad inferos.

§. I.

CUm olim unanimi consensu consuluerint nostrates Theologi in examine articuli hujus de descensu Christi ad inferos, *de hâc re non esse disputandum, sed quàm simplicissime hunc articulum credendum & docendum esse: v. Form. Conc. p. 613.* non omnes quidem hâc de re adversus corruptores saluberrimæ hujus doctrinæ disputationes præcludere satagunt, quas potius ex professo in academiis Wittebergenfi B. Hülsemannus *A. 1647.* & B. Joh. Meisnerus *in Tract. 1690.* Jenensi B. Chr. Chemnitius *A. 61.* Altdorfinâ J. C. Sagittarius binâ vice *A. 59.* atque If. Laurbecchius *A. 700. pro Lic. instituendas esse comprobant, ut taceamus eos, qui occasione hujus aut alterius loci scripturæ, thesin præsentem deduxere.* Interea nobis apologiam eo ipso di-

di-

dici putamus, quod brevissimis solam textus nostri applicationem in medium proferamus.

§. II. Circa *Personam* descendentem notant orthodoxi secundum verba *Form. Conc. p. 788. quod tota persona Deus & homo post sepulturam ad inferos descenderit.* Cui contrariantur illi, qui Christum tantum secundum animam descendisse defendunt. Patrum obscurius de descensu hoc loquentium nonnulli ab horum partibus stant. Imprimis fidei sociorum promachum agit Corn à Lapide, qui *Com. ad 1. Petr. III, 18.* affirmat, *quod spiritu i e. quoad animam venerit in carcerem inferni, ibiq, spiritibus predicavit.* E contra Christum quoad utramque naturam, & quoad alterius, scil. humanæ, partes animam & corpus descendisse, Michæ verba satis indicant hoc ordine: Qui perripit, ille etiam ascendit; qui ascendit, fuit Rex & Jehova; qui Rex est & Jehova, ille est Θεάνθρωπος. Ergo, qui perripit est Θεάνθρωπος. Præter ea, quæ de perruptionis objecto in exegesi & de duabus in Christo naturis in porismate secundo diximus, addimus consensum Apostoli: *Ceterum illud ascendit, quid est, nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terra: Qui descendit, ipse est, qui etiam ascendit supra omnes cælos, ut imple-ret omnia, Ephes. IV, 9. 10.* Conf. ad h. l. orthodoxa descensûs Christi explicatio Theologi consummati p. m. D. Jo. Ben. Carpzovii *Dispp. Theol. Disp. XVI. p. 640.*

§. III. Quoad *tempus* descensûs hujus gloriosi, cum in Symbolo Apostolico sepulturam inter & resurrectionem sigillatim descensus commemoretur, medium illud esse docemus inter ζωοποίησιν *vivificationem*, atque visibilem ἀνάστασιν *resurrectionem*. Sociniani de statu mortis & sepulturæ accipiunt; imprimis autem quo se vertant, nescii Calviniani, alii de morte itidem, alii de toto humiliationis statu, alii aliter descensum exponunt, atque adeò temporis nullam habent rationem, quorum de dissensu vid. Quensted. *Syst. Th. P. III. c. 3. Membr. 3. S. 2. qu. 9. p. 429. seq.* Distinguit actum tempusque perruptionis à resurrectione Michas in textu nostro, qui licet perruptionis nomine totalem de hostibus omninò singulis victoriam indicet, non tamen inde confusio actuum, in specie mortis cum descensu, sequitur, multominus plenarium de descensione silentium, cum perruptoris vocabulum præter necessitatem restringere ad solam mortem, contra

morem boni interpretis esset & analogiam fidei. Hanc confirmat, ipsamque perruptionem explicat Petrus, qui mortis & descensus actum tempusve distinguendo loquitur: *Morte quidem affectus carne, vivificatus autem spiritu. Per quem etiam spiritibus, qui sunt in carcere, profectus predicavit, 1. Petr. III, 18. 19.* Quem locum de glorioso Christi ad inferos descensu agere, peculiari industriâ Joh. Just. Keulingen A. 1668. Lips. pro Lic. D. Beier A. 89. Jena. D. Jo. Ge. Neumannus A. 94. Witteb. & D. Jo. Deutschmannus A. 700. solide vindicarunt.

§. IV. Finem descensus à parte Christi, gloriosum ut se manifestaret triumphatorem, à parte nostri, nos ut liberaret ab hostibus inferni, nostra ecclesia statuit. De illo testatur *Formula Conc. p. 788. quod Satanam devicerit, potestatem inferorum everterit, & Diabolo omnem vim & potentiam eripuerit. De hoc monet p. 613. Satis nobis esse debet, si sciamus Christum ad inferos descendisse, infernum omnibus credentibus destruxisse, nosque per ipsum è potestate mortis & Satana ab eternâ damnatione atque adeò è faucibus inferni ereptos.* Nec attendi merentur nugæ Marcionis de animabus tantum impiorum ab inferno liberatis. Nec spero de avthentiâ literarum ipsi constare fabulatori, quas à parvulis sine baptismo defunctis è limbo scriptas A. 1698. Colon. edidit, in quibus non damnatis aut diabolis prædicasse dicitur Christus in descensu suo ad inferos, sed infantibus, iisque post resurrectionem suam, liberationem, formamque ætatis 33. annorum, in prædicatione suâ consolatoriâ, promississe. Conf. Magnif. Dn. D. Ittigii *disp. de Bapt. Fidel.* ante Christi adventum defunctorum &c. §. 28. p. 28. Sanè ex textu ad oculum patet, nisi perrupisset Messias hostium furorem, propriâ vivificatus virtute, nulla fidelibus unquam perruptio, nullus ad vitam transitus evenire potuisset, cum hoc posterius à priori, tanquam meritoriâ causâ, dependeat, quod videre adhuc superest.

PORISMA V.

Christi Θεανθρώπου resurrectionis causa est meritoria resurrectionis solorum fidelium.

§. I.

Non est instituti nostri, generalem omnium, maxime impiorum, resurrectionem

surrectionem, multis probare argumentis, interim cum de solâ piorum resurrectione hîc agendum veniat, consequentiam ostendere placet, ab horum non minus ac Christi resurrectione ad resurrectionem impiorum concludendi. Primò ex Christi resurrectione argumentamur: Si Christus idem, qui resurrexit & ascendit, rediturus est ad iudicium faciendum, sequitur necessario etiam resurrecturos impios. Quale enim esset iudicium, si objectum ejus principale deficeret, *Dan. XII, 2.* Secundo ex piorum resurrectione concludimus: Si pii atque fideles resurgent, ut ipsis bene sit in æternum, sequitur, impios atque infideles resurgere debere, ut ipsis male sit in æternum. Atqui prius est, *Matth. V, 12.* Ergo & posterius. Consequentiam ostendit divinæ justitiæ sanctitas, ut malis mala, bonis bona aliquando retribuatur, cum vice versâ in his terris bonis mala, malis bona evenire haud rarò permittat.

§. II. Ut igitur resurrectio impiorum soli Dei omnipotentis atque justî vindicis decreto retribuenda est; ita piorum atque fidelium resurrectionem, ex causâ meritoriâ resurrectionis Christi, derivare convenit. Altera, quæ impiorum quoque resurrectionem inde derivat, sententia, præter Calvinianos è nostratibus aliquot nacta est asseclas. Cum nempe circa seculi superioris initium in academiâ Juliâ D. Henr. Boëthius peculiari tractatu *de resurrectione impiorum*, virtute meriti Christi ipsos quoque resurrecturos assereret impios, inque brevi pericope A. 1614. adversus censuram, quam super hâc quæstione ipsi opposuerat D. Frid. Balduinus, constanter defenderet, defensores tamen suæ partis præter D. Brochmannum in *Syst. Th. Art. 16. Sect. 15. qu. 6.* paucissimos invenit. Nos brevissimis ut rem complectamur, thesîm ponimus sequentem: *Sola fidelium resurrectio causam agnoscit meritoriam resurrectionem Christi.*

§. III. Probamus id ipsum PRIMO à resurrectione Christi, quæ salutaris est. Scriptura & cum eâ Michas non alium novit fructum resurrectionis nisi salutarem atque salvificum, nec perruptionem fidelium asseruit, nisi præviâ perruptione Ducis ipsorum Regis & Jehovah. Unde Apostolus justificationem pro resurrectionis Christi fructu habuit: *Christus, inquit, traditus fuit propter peccata nostra & resurrexit, ut justificaret nos, Rom. IV, 25.* Distinctio inter meriti applicationem & acquisitionem tollit adversantium pro ipsis facientem speciem,

ciem,

ciem, non enim per hanc sed illam impiis resuscitatio ad vitam æternam denegatur, ut & Christi meritum, quod quoad acquisitionem universale est, licet pauci soli que fideles sibi applicent. Imo de solis fidelibus dicitur, regenitos esse *in spem vivam per resurrectionem J. C. ex mortuis 1. Petr. I, 3.* Præ cæteris argumentum hujus thesæos evidentissimum Paulus *1. Cor. XV, 12. 13.* ad finem usque capituli prolixè deducit, & resurrectionem fidelium, (quos evangelium suscipientes inque eo stantes *v. 1.* appellaverat) non futuram pronunciat, nisi Christus ipse foret resuscitatus. Vindicias argumenti hujus Paulini pro solâ fidelium resurrectione inculcatâ, optimis interpretibus consentientibus B. Luthe- ro, Hunnio, Rungio & Balduino, quosque alii sequuntur, plurimis, B. Gerhardus *Loc. Th. Tom. VIII. de Res. Mort. §. 61. 62. p. 1117.* prolixas æque ac solidas suppeditat.

§. IV. Probamus SECUNDO à resurrectione fidelium, quæ priori *connexa* est. Num frustra fieri dicendum erit, quod scriptura resurrectionem Christi & fidelium intimè tantum non ubique, infidelium autem nunquam connectere soleat? Testis adsit Michas, propheta dixerim, an Evangelista, qui intimum Christi inter & fidelium resurrectionem nexum perspicuè, solidè atque distinctè exprimit, eamque coherere docet, ut *antecedens & consequens*, ut *Regis & subditorum*, ut denique *capitis & membrorum*. Ut *antecedens & consequens* se habet Christi & fidelium resurrectio, quia *perruptor ascendit ante eos*, postea demum de fidelibus additur, *perumpent & exhibunt*. Hinc Paulus Christum vocat primitias eorum, qui obdormiverunt *1. Cor. XV, 20. coll. 23.* De fidelibus ibi sermonem esse, brevi ante diximus, nec spero, quod Christum quis velit infidelium vocare primitias. Ut verò secundâ Paschatos feriâ primitiæ novæ messis Deo offerebantur *Lev. XXIII, 10. & 15.* conf. Lundii *Jüdisch. Heiligthum l. 5. c. 16. n. 19. p. 1019.* ita Christus eadem feriâ instar primitiarum resurrectionis Patri se obtulit, ut resurrectionem nostram sanctificaret, sanctificatam inchoaret. Ut *Regis & subditorum* resurrectionem describit Michas, quia Messias coram iis ascendens erit *Rex illorum*. Ut igitur fidelium non infidelium in regno gloriæ Rex erit Christus, ita plenarium in ipsos dominium olim administrandum resurrectione aggressus est. *Rom. IV, 9.* ubi mortuis & viventibus dominari dicitur, nempe fidelibus, qui Do-

mino suo vivunt & moriuntur v. g. Ut *capitis* denique & *membro-
rum* resurrectionem proponit Michas, cum Messias futurus sit **משנה**
in capite ipsorum sc. resurgentium fidelium. Cum igitur in ipsâ quo-
que resurrectione Christus sit caput fidelium, non infidelium, qui
membra corporis mystici non sunt, cum fidelibus solis, corpus
mysticum constituens Christus caput subjicietur ei, qui subjecit ipsi
omnia, 1. Cor. XV, 28.

§. V. Probamus TERTIO brevissimis à *resurrectione infide-
lium*, quæ *judiciaria & punitiva* est. Confundere videntur dissenti-
entes causam resurrectionis efficientem & meritoriam, hæc solis fide-
libus propria, illa & fidelibus & infidelibus communis, est
Christus **Θεός**, impiorum aliquando iudex & con-
demnator Dan. XII, 2. piorum Dux atque Redemptor Job. XIX,
25. Resurgent impii olim ex decreto peccatoribus lato Gen. II,
17. Imò varia ex adversantium hypothese fluunt absurda, sanctifica-
retur impiorum resurrectio, damnatio fructus fieret meriti Christi, hu-
jusque participes actu forent damnati, de quibus æque ac consensu pa-
trum fusius agentem consule Gerhardum, l. c. s. 59. 60. p. 115. seq. add.
Feurborn. Fasc. IV. Disp. Theol. disp. II. th. 79. seqq. Oper. p. 561.

EPILOGUS.

HAbes itaque L. B. evangelicum *de salutiferâ Perruptoris resurre-
ctione* Michæ vaticinium, duabus pro virium tenuitate explica-
tum Partibus. Quarum *Prior Exegetica* sensum dicti formalem ob-
tulit, quod Christus Messias tanquam Rex & Jehova, peccati, mortis,
hostiumque infernalium Perruptor resurgendo ascenderit, victoriam
eo ipso manifestans, quodque fideles olim, hujus virtute perruptis iis-
dem hostibus, sint resurrecturi, transitu per mortem facto. *Posterior
rhetico-porismatica* docuit Christum verum promissumque Messiam
Θεός, seipsum virtute propriâ resuscitasse, ad inferos descen-
disse, ut soli fideles resurrectionis suæ causam meritoriam in ejus re-
surrectione inveniant. En unum eundemque in V. ac N. T. salvandi
modum! Hunc demonstrarunt in genere eundem esse, variis disser-
tationibus D. Wilhel. Lyserus *Trifol. ver. relig. V. T. dispp. III. A. 1680.*
edit. L. Ge. Lehmannus *de eodem & c. A. 1666. pro Doct. Lips.* D. Johan.
Deutschmannus *de Ident. fid. doct. & c. A. 78. Witt. D. Abr. Calovius*

de Eodem &c. A. 1684. ibid. Speciatim articulos fidei fundamentales percurrere si scopus admitteret, hinc inde prævios inveniremus labores nostrorum theologorum peculiare, in uno alterove articulo fidelibus in V. æquè ac in N. T. communi. Sic divinæ voluntatis salvatricis unitatem Joh. Meisnerus *A. 1654. Witteb.* atque perennitatem foederis gratiæ D. Jo. Er. Gerhardus *A. 702. Giessa.* Fidem eandem salvificam D. Abr. Calovius *A. 1655. Witt.* eamque Abrahami in Nativit. Chr. D. Balth. Bebelius *A. 70. Arg.* Justificationem verè Evangelicam D. Sam. Scheluvig. *A. 702. Ged.* ex professo demonstrarunt. De Passione, morte, resurrectione Salvatoris totius humani generis, Symbolum fidelium V. T. perspicuum atque orthodoxum Propheta *Esaias c. LIII.* consignatum nobis reliquit. Tibi igitur L. B. quod superest, judicare convenit, de tessera fidei Michæâ, quâ docuit nos, quanti fidelibus V. æquè ac N. T. cognita profuerit *salutifera Perruptoris resurrectio.*

תם ונשלם שבח לאל בורא עולם

E R R A T A.

Legatur Pag. 4. Lin. 5. להאמנם l. 8. יפה post לו l. 12. *dicit Dominus* post *gaudete.* P. 7. l. 1. sine *ut* l. 25. *occurrat* post *præjudicat.* P. 11. l. 7. *Nebucadnezaris* P. 12. l. 7. fin. 5. חקמים l. 25. טעם l. 31. *et si* pro *cum* P. 19. l. 21. טקטיו P. 29. l. 7. Phaletranus.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

Digitalisiert:		
misc. 52	PPN	278388817



